MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80541-25

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

LUDWIG, JOHANN

TITLE:

QUAE FUERTI VOCIS ARETE VIS AC NATURA...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1906

Master Negative #

92-80541-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



887.5
Z8
v.12

Ludwig, Johann, 1884-
Quae fuerit vocis ἀρετή vis ac natura ante Demosthenis exitum. Dissertatio...quam...scripsit Ioannes Ludwig... Lipsiae, typis Roberti Noske Bornensis, 1906.
52 p. 22½ cm.

Thesis, Leipzig, 1906.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-7-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 3

QUAE FUERIT VOCIS *'APETH* VIS AC NATURA ANTE DEMOSTHENIS EXITUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

IOANNES LUDWIG

WURZENSIS

LIPSIAE

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

MCMVI

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIUS ET **MARX**

LIPSIAE D. XXIX M. MAI. A. MCMVI

PROCANCELLARIO
MARX.

IUSTO HERMANNO LIPSIO

Dielsius vir doctissimus in dissertationis qua singulas vocis elementi notiones enarravit, praefatione p. XI ss. a nobilissima Boeckhii doctrina profectus monuit unumquodque scriptorum Graecorum genus accurate a reliquis seiunctum separatumque esse ita, ut quidquid proprii habuerit, id semper tenuerit; qua re miram quandam sermonis similitudinem inter eiusdem generis scriptores intercedere. Tum quae genera distingui velit, explicat; ex his autem respicienda erunt in vim ac naturam alicuius vocis inquisituro sex: poetae epici lyrici tragici comici, philosophi, historici; addendi sunt oratores. Post Dielsium Flipsius in dissertatione de vocis quae est *λόγος* significatione atque usu anno huius saeculi altero conscripta octo scriptorum genera distinguenda esse censuit: Homerum Hesiodumque, philosophos Platone vetustiores, poetas lyricos scenicosque, historicos, oratores atticos sc. vetustiores, Platonem Aristotelem Stoicos, Demosthenem ceterosque eiusdem aetatis oratores; addit Philonem quippe qui notionem vocis *λόγος* praecipue mutaverit; plus igitur rationi chronologicae concessit.

Differunt autem singula genera eo quod variis modis ea quae omnes Graeci mentibus comprehendunt, verbis efferunt; quarum rationum differentias si maioris momenti habeas quam mutationes illorum ipsorum quae Graeci mentibus percipiunt, cum Dielsio facias; attamen illas si utrarumque origines spectas, plus valere quam has num recte credas, magnopere dubito. Etenim illae differentiae mentibus percipiuntur his mutationibus iam factis neque oriuntur sine consilio.

Dielsium credo sequi studuit Kochius (Quae fuerit ante Socratem vocabuli *ἀρετή* notio diss. Jen. 1900) qui miram quandam excogitavit dispositionem; Homeri enim Simonidis Pindari Bacchylidis Sophoclis notionem vocis *ἀρετή* ad unum quasi gradum pertinere docet p. 13: epicam eam esse vult; Hesiodi vero Solonis ceterorumque poetarum elegiacorum notionem ad alterum gradum spectare: esse eam politicam seu vulgarem; tertiam profert notionem

philosopham. Quam dispositionem cum Lortzingius (Berl. phil. Woch. 1901 p. 1252) tum Doeringius (Woch. f. klass. Phil. 1901 p. 316) suo iure graviter vituperaverunt; Lortzingius p. 1255 etiam singula quaedam monuit; quibus exempli causa addam v. *N* 275 ubi Homerus narrat *ἀρετήν* cognosci militum insidiis occultorum, Kochium p. 9 interpretari robur quamquam milites nondum pugnare neque robur exercere luce clarius est; quin etiam proxima pagina Kochius affirmat »pugnantium robur adhortationibus augeri« posse quo de loco cf. p. 13; capitis tertii deinde afferam exordium ubi mirum in modum de notionum epicae et politicae vulgarisque discriminibus disserit; neque vero omnia quae invenisse sibi visus est, digna sunt quae respiciantur.

Sed Wachsmuthius vir doctissimus praeceptor veneratissimus qnem nuper supremum diem obisse summopere dolemus aliud quoddam voluit quam Dielsius, cum seminarii sodalibus tractandum proponeret quas notiones vox *ἀρετή* inde ab Homeri usque ad Aristotelis tempora induisset; voluit enim enarrari quam vim ac naturam vocis *ἀρετή* Graeci mentibus comprehendissent, atque qua ratione ea mutata sit paulatim ab antiquissimis temporibus usque ad Demosthenem. Neque quaerendum est quid pauci illi Graeci qui libros conscripserunt, cogitaverint, sed quid universi quod Hechtius (Griech. Bedeutungslehre 1888 p. 19 media) significat, malim tamen eum dilucidius hoc pronuntiasse atque sibi constitisse. Itaque quamquam notiones verborum praeter inscriptiones non cognoscuntur nisi e scriptorum operibus, tamen semper cavendum erit ne obliviscamur his notionibus nos niti ut iis quae singulis scriptoribus vel totis scriptorum generibus sunt propria, seiunctis ac neglectis efficiamus quas notiones verborum universi mentibus comprehenderint. Lexicographi igitur Dielsium secuti cognoscere student quae generibus scriptorum sunt propria, atque quae singulis (quod ipsum quoque in Dielsii elemento summi est momenti); ii autem qui ipsam vim et naturam alicuius vocis intellegere volunt, haec si cognoverunt, neglegent; illorum igitur laboribus si praesto sunt, nituntur.

Qua ex diversitate efficitur diversa quae philosophorum habenda est ratio. Cum Dielsius certe non sine consilio vocem tractare sibi proposuerit cuius notio gravissima est ea quam philosophi ei tribuerunt, quia philosophi omnium maxime verborum notiones si ad ipsam philosophiam pertinebant, mutaverunt, eadem

de causa illae notiones philosophae nobis sunt omittendae. Minime enim philosophi his vocibus mente comprehendi voluerunt ea quae universi ipsorum aequales intellexerunt, sed secundum suas ipsorum sententias notiones verborum mutaverunt; in unius animo, non apud multos simul eaedem mutandi causae valebant.

Hac re pugnamus contra Hechtium qui p. 41 neglegendas esse censet solas mutationes e sermonis figuris ortas quas Reisigius (Vorlesungen über d. lat. Spr.-Wiss. ed. Haase 1839 §§ 171—183) non minore iniuria gravissimas esse contenderat, et quod per se apparet, notiones formarum quibus verba flectuntur. Quid Hechtius de notionibus philosophis cogitaverit, explicat p. 69: „so haben wir Plato, da auch der Philosoph ein Kind seiner Zeit ist, als den methodischen Deuter der im Volksbewußtsein lebenden Tugend-Vorstellungen (agit enim de voce *ἀρετή*) aufzufassen; dem Inhalte nach fand er die Begriffsbestimmung im Volke vorbereitet, während die logische Abgrenzung sein eigen ist.“ Sed philosophorum sententias magis e priorum philosophorum doctrina nasci quam ex opinionibus quibusdam vulgaribus apparet. Atque nullius vocis notio abstracta — nam concreta a philosophis non definiuntur — quid vulgo comprehendat, tam plane constat ut mera arte logica adhibita possit determinari notio ipsa non mutata; minime philosophus si logice definit talem notionem, certioribus tantum finibus eam circumscribit, sed eligit eas notiones quae logice possunt in unam colligi; saepissime autem hoc secundum merae artis logicae praecepta variis modis fieri potest: itaque philosophus causis quibusdam quae transcendunt artis logicae fines nisus notiones mutare debet. At audire mihi videor Hechtium disserentem has causas positas esse in sententiis omnium communibus; primarias igitur notiones logice comprehensas a philosophis recipi. Quod nego; nam hae causae positae sunt in ipsius philosophi cogitandi ratione; quod mente ut singulare quoddam ac definitum amplectitur, ei exprimendo studet accommodare notionem alicuius vocis quae plane illi respondeat.

Itaque apparet illas causas non valuisse nisi in mentibus singulorum; eiusmodi autem causis fiunt mutationes quas Wundtius vir doctissimus (Völker-Psychologie I 2[2]) vocat singulares; quae nobis sunt neglegendae: eae enim solae quas nova voce appellat regulares, sunt tractandae, eas dico quarum causae simul in multorum animis valuerunt.

Itaque prorsus aliena ab ea doctrina de qua agimus (vocatur semasiologia), est illa terminologia philosopha quae ad historiam philosophiae pertinet; altera ab altera permultum fructus capiet; tamen coniungere eas non licet etsi nonnulla utrique erunt tractanda, variis tamen modis. Terminologiae philosophae praecipue — ut omittam lexica vocum philosopharum — studuit vir doctus Leop. Schmidtius in libro quem anno 88 proximi saeculi conscripsit de sententiis ethicis Graecorum; qui I 289 ss. disserit de terminologia boni et mali, p. 295 de voce *ἀρετή*; quamquam semasiologiam non neglegendam esse censuit. Tamen apparet per philosophos mutatas esse notiones verborum prius in mentibus eruditorum tum in universorum; id quod nostra interest; ac mirum quoddam inveniemus.

Pars prior.

Etymologos postquam didici Curtium (Grundz.[5] 1879 p. 339) Leonem Meyerum (Handbuch I 1901 p. 255) Prellwitzium (Etymol. Wörterb.[2] 1905 p. 49) contendere vocem *ἀρετή* ortam esse e verbo *ἀρ-* cuius notio „fügen“ a Curtio Prellwitzio posita vel „sich anfügen“ a Meyero enucleata maximopere mutata sit, mittam Hechtium c. IV p. 26 ss. secutus. Sed quaerendum est utrum singulae notiones sint tractandae, an omnia sint comprehendenda quae ad unumquodque temporum spatium pertinent, profectis ab Homeri aetate pededemptimque progressis usque ad Demosthenis exitum. Profitemur neutrum nos sequi, vel utrumque. Hechtius sibi persuasit meram temporum rationem esse sequendam, quod *θεωρίαν* quam vocant spectantibus sane est probandum; attamen si ipse instituisset talem quaestionem, hanc sententiam certe reliquisset; quantum enim video, paene omnes qui in notiones verborum inquisiverunt, rationem chronologicam accurate non servaverunt; quod suo iure fecerunt. Nam si hac via ac ratione proficisceris, ad omnia quae novata sunt, ut intellegatur quomodo in mentibus sint orta, referre debes ea quae antea iam tractaveras, unumquodque igitur bis minimum tractabis; tamen non tibi continget ut aperte ac dilucide doceas quibus rebus mutatae sint vocis istius notiones, nam eas pristinae aetatis et ab iis posteriorum temporum quae ipsae ex illis ortae sunt, et ab iis quae ex illis iam paululum mutatis in mentibus extiterunt, prorsus separatas tractabis. Quod vitium non fugit Eichhornius in dissertatione quarto huius saeculi anno de voce *βάρβαρος* conscripta; qui solus rationem chronologicam secutus in locis uniuscuiusque scriptoris tractandis vetustiorum notionum plenum ordinem denuo semper profert; quod suavitatis credo nil praebet; nisi id laudas quod post paginam tricensimam notionum quasi catalogum memoria tenes semperque tenebis; neque facile disces qua aetate notio quaedam primum

extiterit, qua re postea mutata sit: totam legas dissertationem oportet ut quaedam reperias ad hunc et illum scriptorem notata quae animo ipse coniungas. Quod vel magis valet de hac quaestione quia voce *ἀρετή* complures virtutes comprehenduntur quae ad res maxime varias spectant. Itaque etsi secundum aetates proficiscimur, tamen singularum notionum mutationes eo temporis momento quo has notiones primum reperimus, statim tractamus.

Vetustissimus autem vocis *ἀρετή* usus extat in Homeri carminibus; quamquam nolim negare hunc usum non esse omnium antiquissimum; nescio tamen qua ratione ullam vetustiorem notionem certe possis investigare.

cap. I.

Corporis virtutes ab Homero praecipue collaudantur velut feminarum pulchritudo de qua postea erit agendum; virorum autem *ἀρετή* interdum segregabatur a mentis virtutibus velut *O* 642 ubi celerum pedum corporisque armis excertitati virtus opponitur *νόῳ* qui in deliberando consiliandoque excellit, et *μ* 211. Pedum autem virtus etiam *Y* 411 est celeritas; similiter Tyrt. 12. 2; item Pind. p. 10. 23 *ὃς ἂν χεροὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ κρατήσαις*. Aurium atque oculorum virtus commemoratur a Platone rep. 1. 353 B.

Totius corporis virtus numquam est ipsum robur,[1]) sed celeritas atque exercitatio corporis; quae collaudantur ab Homero cum in Nibelungorum carminibus saepius praedicetur heroum robur; atque ni fallor postea quoque in gymnasiis illae virtutes colebantur magis ac diligentius quam robur. — At erant *ἀγωνίσματα βαρέα* sec. Plat. leg. 8. 832 E. Sed in iis quoque committendis opus erat robore arte ac diligentia exercitato quod apparet ex Aesch. 3. 179 ubi in *παγκρατίῳ* certamine gravissimo quod cum ex ipsa voce *παγ-κράτιον* elucet tum e Xenophane fr. 2. 5 poet. phil. Diels. *εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον ὃ παγκράτιον καλέουσιν* reliquis certaminibus antea enumeratis, corona ornatur non *ὁ διαπραξάμενος*, sed *ὁ κράτιστος*; itaque in hoc certamine gravissimo fieri poterat

[1]) ne Plato quidem qui Gorg. p. 517 E dicit artem gymnasticam medicamque ceteris praestare artibus *διὰ τὸ εἰδέναι ὅ τι τὸ χρηστὸν καὶ πονηρὸν τῶν σιτίων ἢ ποτῶν ἐστιν εἰς ἀρετὴν σώματος*, corporis virtutem intellegit robur, sed bonam constitutionem quam gymnastica quoque arte parari vult, nam et 517 E et 518 A affert *τέχνην γυμναστικήν τε καὶ ἰατρικήν*.

ut alter dolo atque exercitatione uteretur; ut igitur ad gravissima ita ad omnia certamina Graecorum solum robur arte non exercitatum satis fuisse pernego. Omnibus vero notum est certamina gravissima minime fuisse in summo honore; velut praecipuum ac singularem locum tenuit celeritas pedum.

Erant qui crederent nimium honorem tribui corporis virtutibus; velut Xenophanes fr. 2 poet. phil. Diels. p. 36 et Euripides in Autolyco fr. 282 praecipue v. 16 s. 23 s. quem Xenophanis elegiam imitatum esse censet Ath. 10 p. 413 F, et Isocrates in exordio panegyrici; Xenophontem quoque conferas rep. Laced. 10 et e recentiore aetate Diog. Laert. 2. 91 de Cyrenaicis.

Virorum pulchritudo valde aestimabatur; saepissime in vasis pictis additur *ὁ καλός* vel *καλός* ad nomen; quin etiam Platonis aetate cantari solebat:

ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ·
δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γενέσθαι

cuius carminis fragmentum extat inter Simonidea ap. Schneidewinium p. 54; Gorgias autem Hel. 1 vocat pulchritudinem *κόσμον* corporis, similiter ab Homero *θ* 167 *φυή* refertur ad *χαρίεντα*, non ad virtutem. Quid mirum Euripidem ipsam pulchritudinem vocare *ἀρετήν*; quin etiam summam virtutem eam habet fr. 15

πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος·
πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχον ἐν βίῳ
τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Sed ad id quoque procedebant ut crederent eorum qui cum adulescentulo pulchro saepe convenirent, confirmari atque augeri virtutem quod monet Xenoph. conviv. 4. 15 *ἐγὼ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν δικαιότερός σού εἰμι ἄγειν ἀνθρώπους*; reddere enim adulescentulum eos qui eum admirantur ac diligunt, *ἐλευθεριωτέρους εἰς χρήματα, φιλοπονωτέρους καὶ ἐγκρατεστέρους*, fortiores, atque id *διὰ τὸ ἐμπνεῖν τι τοῖς ἐρωτικοῖς*; ii igitur qui diligunt adulescentulum, illas virtutes exercent quia semper student puerum possidere. Quod nobis viri levissimi et inepti videtur; an credas eas esse veras virtutes quas exerces ut aliquid iucundi adipiscaris? sed cum Graecis tum ipsi Xenophonti hoc minime mirum videbatur; credebant enim virtutem exerceri nulla de causa nisi ea quod honorem i. e. iucundi aliquid secum ferret quod Xenophon Critobulum apertissime dicentem facit, non quod per se bonum ac probum esset expetendum; atque ut homines ex eo quod *τὸ καλόν*, i. e. honorem, exsequuntur,

virtutes exercent, ita ex eo quoque quod *τὸν καλόν* sibi coniungere student. Itaque facillime intellegimus qua ratione Xenophon ad hanc sententiam pervenerit; similiter Ps. Demosth. in erotico.

Cum corporis virtutibus arte cohaeret ea *ἀρετή* quae ad excellentiam militarem spectat. Ambae autem virtutes ubicunque in Homeri carminibus laudantur, semper intelleguntur eae quae oculis cernuntur; quod e verbis quae vocantur appositis apparet, sicut *ἀρετῇ περιβάλλετον ἵπποι* Ψ 276, *εἶδός τε δέμας τε ὄλεσαν ἀθάνατοι* σ 251, *παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο* X 268, *ῥήξαντο φάλαγγας* Λ 90, *πέλει* N 237, *δῆριν ἔχουσιν* ω 515, neque aliter Ψ 571; quin etiam saepe verba apponuntur quibus ipsis monetur virtutem oculis quasi apparere, velut *ἀναφαίνων* Υ 411, *φαίνετ'* Ψ 374, *διαείσεται* Θ 535, *διαείδεται-ἐξεφαάνθη* N 277; tale autem verbum exceptis locis N 275 et Υ 242 quibus generalis quaedam excellentia magis premitur, semper additum est iis locis quibus virtus bellica et iis quibus corporis virtus significatur; ubicumque autem notio generalis intellegitur, semper tale verbum deest; contra voci *ἀρετή* hoc generali sensu usurpatae semper additur excellendi quaedam vox quam his locis frustra quaeres; hac de re cf. p. 33.

Quid hac notione in Homeri carminibus contineatur, quaeramus. Quam invenimus velut Λ 90:

τῆμος σφῇ ἀρετῇ Δαναοὶ ῥήξαντο φάλαγγας
κεκλόμενοι ἑτάροισιν κατὰ στίχας

ubi non catervatim sed acie utrique incurrunt in hostes; *φάλαγγες* enim Troum et *στίχες* Graecorum commemorantur; non igitur eo quod animis fortibus pugnant, Graeci superiores fiunt, sed quia habent membra ad proelia committenda magis idonea atque saepe ipsis pugnis exercitata. Sed acies Troum frangitur vel discinditur quod significatur verbo *ῥήγνυσθαι*, singulis quibusdam locis, minime tota acies simul potest frangi; singuli igitur qui vocantur promachi, vehementer incurrunt in hostes; quos necesse est cum ad pugnam plus valere quam reliquos tum fortiores esse. Itaque et ad illam pugnandi peritiam corpusque robustum et ad fortitudinem spectat notio virtutis militaris; ita ω 509 ss. ea continentur *ἀλκή* et *ἠνορέη*; *ἀλκή* autem spectare videtur ad membra ad pugnandum apta atque crebro armorum usu exercitata, *ἠνορέη* magis ad fortitudinem.

Armorum enim usus atque peritia multum iam valet; X 268 Achilles summum certamen coepturus Hectorem admonet hisce verbis:

παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο· νῦν σε μάλα χρὴ
αἰχμητήν τ' ἔμεναι καὶ θαρσαλέον πολεμιστήν

ubi intellegenda est varia pugnandi virtus vel varia ac multiplex peritia variarum pugnandi rationum; quam in memoriam revocabant cum pugnam inirent. Hanc eos magis ipsis proeliis sibi parasse quam exercitiis, alio loco exponemus. Sed nonnullis locis fortitudo quae X 268 quoque illo *θαρσαλέος* significari videtur, magis premitur; velut ξ 212:

εἵνεκ' ἐμῆς ἀρετῆς, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιος ἦα
οὐδὲ φυγοπτόλεμος

ἀποφώλιος generaliter dicitur is qui nil utilitatis praebet, *φυγοπτόλεμος* autem est homo ignavus. Meram quoque fortitudinem qui praestat, dignus est cui laus virtutis tribuatur; velut N 275 *οἷδ' ἀρετὴν οἷός ἐσσι· τί σε χρὴ ταῦτα λέγεσθαι* e versibus proximis usque ad v. 287 dilucide apparet solam fortitudinem cogitari; item N 277:

ἐς λόχον ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν,
ἔνθ' ὅ δὲ δειλὸς ἀνὴρ, ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη

et X 242:

Ζεὺς ἀρετὴν ἄνδρεσσι ὀφέλλει τε μινύθει τε.

Kochius credit N 275 Λ 90 N 257 Tyrt. 11. 14 *ἀρετήν* pertinere ad robur. Sed ipsius notionibus malim paululum accuratius eum usum esse; quid enim roboris voce ipse intellegat, apparet ex paginae 18 vv. 12/13 ubi »Unde fit, inquit, ut Homerus pugnantium robur adhortationibus augeri saepe narret«; minime enim ipsa vis alicuius potest adhortationibus augeri, sed ea tantum quae exercetur, i. e. die Kraft-Äußerung, atque hoc nullo modo nisi ita ut voluntas roboris exercendi augeatur; voluntas autem roboris in pugna exercendi nil est nisi fortitudinis vis ut ita dicam positiva quae ad negativam partem quae spectat ad animos timore liberos, accedit. Kochius igitur quoniam illam vim quodammodo positivam roboris voce notat, item ac nos contendit ad eam referri interdum vocem *ἀρετή*; hoc tamen miro modo statim negat atque pernegat; ipsius igitur sententiae secum repugnant.

Illa ex coniunctione notionum virtutis alicuius et voluntatis eius exercendae quam Graecorum cogitandi rationis valde esse propriam probabimus, fieri necesse erat ut cum notione roboris quam Kochius ponit, vel cum ea quam optime voce „kriegerische Tüchtigkeit“ notamus, simul comprehenderetur notio fortitudinis quasi positivae. At ne Kochii dissertationi videamur obtrectare,

afferamus eum recti aliquid sensisse cum diceret sola de fortitudine vocem *ἀρετή* nusquam adhiberi; voce *ἀρετή* enim fortitudo notari non poterat nisi eius qui simul habebat membra satis robusta atque exercitata quia fortitudo erat voluntas roboris exercitati in pugnis exercendi. Tamen saepissime poterant solam fortitudinem respicere robore atque belli peritia plane neglectis: omnibus enim notionibus insunt quaedam quae si plane desunt, tota notio cogitari nequit, quae tamen mentes saepe quasi latent ita ut earum conscii non fiant homines. Posteri quoque meram fortitudinem interdum intellexerunt; velut Thuc. *β* 87. 9 Xenoph. instit. Cyr. 4. 1. 5; 7. 1. 18; 2. 3. 4 rep. Lac. 9. 2; cf. quoque orationis funebris locos Thuc. *β* 34. 5; 36. 1; 42. 2; 46. 1 et Langium Jbb. 1892 p. 834. Sed saepius respicitur virtus bellica fortitudine neglecta apud plerosque auctores; solus videtur Thucydides fortitudinem magis premere; contra Xenophon duplici fere locorum numero utitur notione merae illius virtutis militaris.

Cum in Homeri carminibus praecipue respiciatur fortitudinis vis quasi positiva, in Herodoti historiis interdum magis spectatur pars negativa quae pertinet ad animos metu liberos ac praecipue ad eos qui mortis timore liberi sunt. Velut 7. 181 et 8. 92 tribuitur virtus Pytheae qui nave sua capta *ἐς τοῦτο ἀντεῖχε μαχόμενος ἐς ὃ κατεκρεουργήθη ἅπας*; similiter 1. 176 *μαχόμενοι ὀλίγοι πρὸς πολλοὺς ἀρετὰς ἀπεδείκνυντο* significatur illos quamvis paucos minime timuisse hostes numero superiores. Apparet Homerum eos qui neque pericula neque mortem timebant, hanc ob rem praecipua virtutis laude dignos non putasse, Herodotum vel hanc solam ob rem eos magni hubuisse; idem atque Herodotus posteri quoque censebant.

Xenophon multa de fortitudine animo volvit. Credit enim fortes in pugnis saepius servari quam ignavos; velut instit. Cyr. 4. 1. 5 *ἡ ἀρετὴ μᾶλλον ἢ ἡ φυγὴ σῴζει τὰς ψυχάς* ubi negare solam fortitudinem respici inepti esset; item 7. 1. 18 *μηδὲν εἶναι κερδαλεώτερον ἀρετῆς*; idem rep. Lac. 9. 2 *ἕπεται τῇ ἀρετῇ σῴζεσθαι εἰς τὸν πλείω χρόνον μᾶλλον ἢ τῇ κακίᾳ*; pergit autem *καὶ γὰρ ῥᾴων καὶ ἡδίων καὶ εὐπορωτέρα καὶ ἰσχυροτέρα* sc. *ἐστὶν ἡ ἀρετή· δῆλον δὲ ὅτι καὶ εὔκλεια μάλιστα ἕπεται τῇ ἀρετῇ· καὶ γὰρ συμμαχεῖν πως πάντες τοῖς ἀγαθοῖς βούλονται*; fortitudo enim libera est timoris sollicitudinibus quibus animi impediuntur; suavis autem fortitudo ob id quoque est quia laus ei tribuitur.

Idem vero nova de bellis cogitavit; quia enim credidit bella laborum et periculorum esse plenissima, etiam virtutem militarem consistere vult in eo quod vocat hist. gr. 6. 1. 6 *φιλοπόνως καὶ φιλοκινδύνως ἔχειν πρὸς τοὺς πολέμους*; similiter inst. Cyr. 2. 3. 4 eam comprehendere censet *πολλὰ πονεῖν καὶ κινδυνεύειν*. Hanc sententiam magis habuisse mihi videtur quam ceteri homines eiusdem aetatis; decem enim annos non desiit bellis interesse; atque cum antea bellis magna itinera terrestria suscipi non solerent — neque in bellis Medicis neque in bello Peloponnesiaco —, Xenophon usque ad intimam Persiam cum profectus est tum medias per adversas gentes revertit; quo in itinere labores ac pericula multo maiora erant atque a Xenophonte multo magis premuntur ac narrantur quam a reliquis historicis velut ab Herodoto Thucydide. Similiter Ephorus quoque fr. 64 ad *ἀνδρείαν* i. e. ad virtutem bellicam refert et armorum peritiam et facultatem voluntatemque laborum suscipiendorum. Itaque inde a Xenophontis aetate hoc ad virtutis militaris notionem accessisse apparet; amplior recentioris huius aetatis exemplorum numerus facile afferri potest; velut Hyperid. epitaph. 23 ad virtutem referuntur *τὸ παρατάττεσθαι ὁσημέραι, πλείους μάχας ἠγωνίσθαι, χειμώνων ὑπερβολὰς καὶ τῶν καθ' ἡμέραν ἀναγκαίων ἐνδείας ὑπομεμενηκέναι* quae omnia comprehenduntur voce *καρτερία*; sed periculum quoque premitur ob magnum proeliorum numerum; magis quam Xenophon premit Hyperides pericula et labores, quin etiam fortitudine ac peritia armorum omissa ut virtutem militarem praedicat *καρτερίαν*; atque belli Lamici labores et pericula ultra modum auxit; Graeci nimirum labores ac pericula gravius ac molestius ferebant; pugnandi quoque ratio fortasse mutata erat magnis ac celeribus itineribus faciundis. Item Hyperid. epitaph. 26 *πόνους πόνων διαδόχους ποιούμενοι τοῖς καθ' ἡμέραν κινδύνοις τοὺς εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον φόβους — παραιρούμενοι* 29 *καὶ τότε μὲν ἐν πολλῷ χρόνῳ καὶ διὰ πολλῶν κινδύνων τὴν ἀρετὴν ἀπεδείξαντο*; atque 15 laudat Hyperides virtutem occisorum militum quae consistit *τῷ κινδυνεύειν ἐθέλειν τοῖς σώμασιν* et sub finem epitaphii loco prae ceteris elato exclamat *ὦ-ὑπερβαλλούσης δὲ ἀρετῆς καὶ ἀνδραγαθίας τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις*.

Alia quoque ratione haec notio mutata est. In Homeri carminibus singuli pugnant cum singulis neque ducum imperia respiciunt; postea autem totae copiae in campum progressae arte ac ratione erant collocandae ac ducendae; itaque virtus militaris

simulatque ducibus erat tributa, referebatur necessarie ad peritiam copiarum ducendarum velut Lys. 18. 3; contra Thuc. δ 126 barbaros ignorare rei militaris disciplinam monet in oratione Brasidae cf. Eichhornii dissertationem de voce *βάρβαρος* conscriptam p. 42. Eadem ratione factum est ut ad militum virtutem pertineret oboedientia quod docet Xenoph. instit. Cyr. 2. 3. 8 qui ad militum virtutem refert *τὸ τοῖς ἄρχουσι πείθεσθαι* et *τὸ πρὸς τοὺς πολεμίους ἄλκιμον εἶναι.* Cf. p. 31.

cap. II.

In Homeri carminibus ad vocem *ἀρετή* interdum referuntur opes.[1]) Quae notio non ita explicari potest ut ea significetur id quod eveniat ex actionibus e virtute ortis; nullo enim Homeri versu *ἀρετή* refertur ad eas hominum ut ita dicam qualitates ex quibus bonus atque prosper rerum status evenit; ad id propter quod homines magni aestimantur a reliquis, in Homeri qui principum modo facta enarrat, carminibus pertinent opes quoque satis magnae; saepe a poetis disserte eae describuntur ut ii qui audiunt, maiorem illis principibus tribuant animis honorem. Sunt qui dicant a vetustioribus voce *ἀρετή* notari interdum „Das Gedeihen", velut Wilamowitzius Gött. gel. Nachr. 1898 p. 219 Textgesch. d. griech. Bukol. p. 54; quod ne uno quidem loco probare possunt; ac satis nos demonstraturos esse censemus eum statum voce *ἀρετή* notari qui reliquis honore dignus videbatur, non eum qui re vera absoluteque bonus erat; sed sunt etiam qui notionem „Gedeihen" esse omnium originem contendant; neque vero qua ratione notio „Gedeihen" mutata sit in fortitudinis virtutisque bellicae notionem vel in alicuius virtutis gloriam famamve, isti explicare possunt.

At me revocas ad exempla. *ν* 45 Ulixes ad Phaeaces *θεοὶ δ' ἀρετήν,* inquit, *ὀπάσειαν παντοίην, καὶ μή τι κακὸν μεταδήμιον εἴη* qui voce *ἀρετή* simul significat bonum statum et ipsorum hominum et opum quo honos paratur; atque etiamsi *σ* 133 *ὄφρ' ἀρετὴν παρέχωσι θεοὶ καὶ γούνατ' ὀρώρῃ* opponitur proximum illud *λυγρόν,* tamen *ἀρετή* rursus et ad hominum et ad rerum bonum honorificumque statum referri mihi videtur. Qua ex notione factus est

[1]) similiter voces *ἀγαθός, καλὸς κἀγαθός, ἄριστος, ἐσθλός, δεινός* saepe referri ad potentiam divitiasque demonstravit Welckerus in Theognidis editione I 10 p. XXII; idem I 14 p. XXIX de consimili vocis *ἀρετή* notione egit.

boni huius et rerum et hominum status honos solis animis tributus qui una voce vernacule vocatur „Ansehen"; ita Ψ 578 Menelaus Antilochum qui immerito curruum certaminis adeptus erat praemium, coram principibus accusat cum aliis tum hisce verbis usus:

Ἀντίλοχον ψεύδεσσι βιησάμενος Μενέλαος
οἴχεται ἵππον ἄγων ὅτι οἱ πολὺ χείρονες ἦσαν
ἵπποι, αὐτὸς δὲ κρείσσων ἀρετῇ τε βίῃ τε;

plane non intellego cur. Seil. Cap. lex. Hom.[9] 1889 s. v. interpretentur currus regendi peritiam; nulla enim alia re nisi dignitate atque auctoritate sua nisus Menelaus adulescenti praemium iniuria eripere potest quia Antilochus prior ad finem pervenerat; quod Antilochus quoque proximis versibus monet; Doederlinii vero interpretationem glossar. Hom. n. 536 „geistige Tüchtigkeit, Einsicht, Klugheit" omittam. Hesiodus autem op. 313 *πλούτῳ δ' ἀρετὴ καί κῦδος ὀπηδεῖ* voce *ἀρετή* significat solarum opum honores ipsa hominum virtute neglecta.

A voce *ἀρετή* derivatum est verbum *ἀρετᾶν* quod in Odyssea invenitur; quod est idem atque *ἀρετὴν ἔχειν,* ergo habere honorifici aliquid. Ita *ϑ* 329 dei exclamant *οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα* cum Martem et Venerem qui adulterium commiserunt, a Vulcano vident vinctos: non honorem parari censent malis factis. Similiter *τ* 114 *ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὅτ' αὐτῷ.* — At derivatum est verbum *ἀρετᾶν* a boni rerum status notione. Sed *ϑ* 329 ab hac notione vocis *ἀρετή* verbum derivari nequit; minime enim aut de bono rerum statu agitur aut de malo vel paupertate, sed de honore, nam exponuntur a Vulcano Mars et Venus ad infamiam atque derisum; qui verbi *ἀρετᾶν* usus a boni rerum status notione derivari non potest. Neque *τ* 114 solis opibus florere populum vult poeta; sed cum opibus tum ipsorum bono statu significat excellere homines qui ab illo principe reguntur; ad utramque praestantiam refert verbum *ἀρετᾶν.*

Post Hesiodi tempora numquam voci *ἀρετή* haec notio tributa est; neque enim Tyrt. fr. 11. 14 *παυρότεροι ϑνήσκουσι, σαοῦσι δὲ λαὸν ὀπίσσω · τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή*[1]) intellegit hanc notionem, sed virtutem militarem; quod autem Theognis illo loco 699 ss. quo compluria ab omni ceterorum consuetudine alienissima continentur (cf. p. 40), hanc notionem usurpat, neglegere licet. Hac enim adhibita id propter quod aliquis virtutis laude

[1]) Duemmlero qui philol. 56 p. 11 not. 12 pro *ἀρετή* mutavit *ἀγέλη,* non licet consentire.

honoratur, ab ipsius natura est separatum; reliquis vero notionibus in mente fictis *τὸ τίμιον* cum eius ipsius qui honoratur vel corpore vel animo, vel cum rei quae laudatur ipsa natura coniunctum est; quam ob rem notio boni rerum status usurpari desita est. — At ista ratio ab omni initio valebat; itaque haec notio in mentibus oriri prorsus non potuit. Sed vetustioribus temporibus quibus nummorum usus nondum erat inventus, res atque opes multo artius ad ipsos homines referebantur; domus agri pecora semper erant in finibus dominorum; numquam poterant immutari vel ad alios transferri, ac quo diutius eo artius ad ipsos dominos pertinebant; sed nummis inventis res poterant multo facilius et immutari et ad alios transferri; diversissimis locis aliquis possidebat domus vel greges vel agros; deinde compluribus hominibus mandaverat certas pecuniae summas quibus fruerentur ita ut certam partem quotannis solverent; itaque opes non iam ita arte pertinebant ad ipsos homines.

Poterant igitur rhapsodorum temporibus voce *ἀρετή* comprehendi opes et virtutes; in ambabus consistebat id propter quod honos alicui tribuebatur. Postea vero non desierunt ei quo honorem sibi pararent, maximopere studere, atque etiam tum credebant non solis virtutibus sed etiam opibus honores tribui; igitur et virtutes et opes assequebantur; quia autem ad *ἀρετὴν* opes non iam spectabant, et *ἀρετὴν* et opes vel *ὄλβον* assequi studuerunt. Saepissime enim in hymnis usurpatur *δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον* velut hymn. hom. 19. 8; 15. 9 Callimach. hymn. 1 v. postr.; ubi *ὄλβος* est bonus rerum status, *ἀρετή* hominum virtus; neque enim Sittlio qui ind. philol. 16. 379 interpretatur „Ansehen", debes assentiri, ac procul habenda est Wilamowitzii interpretatio qui censet Gött. gel. Nachr. 1898 p. 216 his formulis rhapsodos precatos esse ut ab iis qui audiebant, laudarentur et donarentur; neque reliquis hymnorum locis quos not. 2 attulit, concedo rhapsodos hoc precatos esse; quod dilucidissime apparet hymn. 31 *πρόφρων δὲ βίον θυμήρε' ὄπαζε* ubi de vita agitur, non de donis laudibusve; neque hymn. 10 *δὸς ἱμερόεσσαν ἀοιδήν* ut laudetur precatur poeta, sed ut suavem atque honorificum in modum carmen epicum possit cantare, neque aliter 25 *καὶ ἐμὴν τιμήσατ' ἀοιδήν* interpretandum est secundum id quod p. 44 not. 1 exposuimus; atque 24 *χάριν δ' ἅμ' ὄπασσον ἀοιδῇ* eadem ratione intellegi certe potest, neque est cur Wilamowitzii interpretationem praeferamus, sed verisimilius est idem poetam

velle atque ille qui hymnos 10 et 25 composuit. Sed alii quoque et opibus et virtuti student velut Solon. fr. 13. 3 *ὄλβον μοι πρὸς θεῶν μακάρων δότε καὶ πρὸς ἁπάντων ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν*, nam hoc *ἔχειν δόξαν ἀγαθήν* fere idem est atque *ἔχειν ἀρετήν*; neque aliud quidquam Pindarus p. 1. 99 *τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἆθλον · εὖ δ' ἀκούειν δευτέρα μοῖρ' · ἀμφοτέροισι δ' ἀνὴρ ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ, στέφανον ὕψιστον δέδεκται* intellegit verbis *εὖ ἀκούειν*; deinde afferam Carcin. fr. 4 p. 799:

ἀσκεῖν μὲν ἀρετὴν, εὐτυχεῖν αἰτεῖν θεούς ·
ἔχων γὰρ ἄμφω ταῦτα μακάριός θ' ἅμα
κεκλημένος ζῆν κἀγαθὸς δυνήσεται.

Similiter et bonam fortunam et virtutem mortalibus respiciendam esse exclamat Hecuba Helenae obiurgans Eurip. Troad. 1009:

ἐς τὴν τύχην δ' ὁρῶσα τοῦτ' ἤσκεις, ὅπως
ἔποι' ἅμ' αὐτῇ, τῇ ἀρετῇ δ' οὐκ ἤθελες.

ubi verba *τῇ ἀρετῇ*, quae pendent e verbo *ἕπεσθαι* quod animo addas, separanda sunt ab *αὐτῇ* sc. *τῇ τύχῃ*; vel Sappho fr. 80 *πλοῦτος ἄνευ ἀρετῆς οὐκ ἀσινὴς πάροικος* cf. Theogn. 153 et Pind. p. 5. 2[1]):

ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής
ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ
βροτήσιος ἀνὴρ πότμου
παραδόντος αὐτὸν ἀνάγῃ
πολύφιλον ἑπέταν.

opes cum virtutibus coniunctas praedicant; addam Eurip. Orest. 807 *ὁ μέγας ὄλβος ἃ τ' ἀρετά* et fr. 163:

ἀνδρὸς φίλου δὲ χρυσὸς ἀμαθίας μέτα
ἄχρηστος, εἰ μὴ κἀρετὴν ἔχων τύχοι;

Pindarus autem saepissime solebat praedicare victorum et *ἀρετήν* et *εὐτυχίαν* quod demonstravit Dissenius Pind. I [2] p. II s. singulis carminibus allatis; neque vero ille vir doctus mihi persuasit altero carminum genere virtutem, altero decus fortunasque laudari. Contra Theognis v. 129 pernegat opum virtutisque praestantiam a dis esse

[1]) singularem in modum Pindarus in eiusdem carminis v. 98 s. dicit maioribus videri nepotis victoriam hymnis celebratam ipsorum esse *ὄλβον* qua voce decus significari Christius censet neque ego meliorem interpretationem excogitare potui; Pindarus enim qui victorum praedicare solet et virtutem et decus (cf. Pind. ed. Diss. I [2] p. II s.), saepe bonas fortunas cum victoriae gloria coniunctas laudibus affert (Diss. p. VII); *ὄλβον* igitur videtur artiore vinculo ad gloriam decusve retulisse.

precandam quo viros doctos offendit; at cur non potuerit tritam illam sententiam negare, non intellego. Solo autem secum cogitavit utrum opes an virtutem praeferret fr. 15:

πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι κακοί, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει;

similiter Bacchylides quaerit utrum opes an virtutes maiorem praebeant honorem; rem diiudicat his verbis 1. 159 cf. Dieterich. Nekyia p. 178:

φαμὶ καὶ φάσω μέγιστον
κῦδος ἔχειν ἀρετάν, πλοῦ-
τος δὲ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ.

Idem videtur Antisthenes explanatius probasse in dialogo quem Dio Chrysostomus in or. XIII imitatus est. Cf. Theogn. 145, 150 867; Isocr. 1. 38; Socr. ap. Xenoph. mem. 4. 2. 9; Demosth. 22. 75; contrarie autem Theogn. 699 cf. p. 44.

cap. III.

Novi aliquid invenimus iis solius Odysseae locis quibus ad mores refertur vox *ἀρετή*. Velut ξ 402 Eumaeus censet virtutis suae laudem deleri hospite laeso; itaque *ἀρετή* spectat ad virtutis moralis laudem; quod miri nil praebet; nam hospitem qui laeserat, ita ab omnibus damnabatur quippe qui ingenti facinore Iovem Hospitalem ipsum violasse crederetur, ut laude efferri non iam posset; eandem vero virtutem voce *ἀρετή* notat Pind. p. 1, 94 *οὐ φθίνει φιλόφρων Κροίσου ἀρετά*. Atque ω 192 Agamemnon apud inferos Ulixem praedicat ob virtutem uxoris haecce locutus:

ἦ ἄρα σὺν μεγάλῃ ἀρετῇ ἐκτήσω ἄκοιτιν,
ὡς ἀγαθοὶ φρένες ἦσαν ἀμύμονι Πηνελοπείῃ
κούρῃ Ἰκαρίου· ὡς εὖ μέμνητ' Ὀδυσῆος

cuius ex ultimis his verbis apparet eum collaudare Penolopae fidem erga maritum, neque aliam virtutem intellegit voce *ἀγαθοὶ φρένες*; sed omnes viri docti consentiunt hoc carmen esse e recentissimis. Denique ϱ 322 Eumaeus exclamat:

ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνέρος εὖτ' ἂν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι

ubi Plato aliique auctores prorsus diversam praebent scripturam quae cum alia tum pro voce *ἀρετή* exhibet *νόου*; sit autem genuina haec lectio; sic *ἀρετή* idem est ac *τὸ ἐθέλειν ἐναίσιμα ἐργάζεσθαι* quod versu antecedente extat; itaque ad mores spectat vox *ἀρετή*; minime enim cum Ameisio Hentzio consentire debes qui interpretantur „Geschicklichkeit, Fertigkeit"; non enim servi eo quod nolunt officia sua praestare, minorem habent artem vel peritiam, sed minore studio officii praestandi tenentur.

Minime vero heroum principumve nova haec virtus collaudatur, sed eorum qui pristina illa virtute numquam excellebant, servorum feminarum. Quod qui factum sit, quaeris. Habebat autem recentioris aetatis poeta epicus cum heroum ac principum facta enarraret, quod imitaretur; si a vetustiorum poetarum consuetudine principum describendorum abhorreret, detegeretur ut poeta recentior. Sed si servorum facta ac dicta erant enarranda, Iliadis omnino non habebat exempla imitanda; facillime igitur servis similiterque feminis praesertim cum partes quasi secundarias agerent minusque animos eorum qui audiunt vel legunt, occuparent, recentioris aetatis consuetudines ac mores leniores poterant tribui.

Ut servi in Homeri carminibus, ita homines ignobiles quibus Hesiodus quid utile sit ac bonum, suadet, ipsi quoque non ficti sunt ad heroum exempla; sed sententias suis temporibus proprias Hesiodus protulit. Non igitur miramur quod ipse prorsus ad mores refert vocem *ἀρετή*. Nisi forte credis Platonem Protag. p. 340 D Xenophontem mem. 2. 1. 20 Hesiodi locum op. 289 potissimum *τῆς δ' ἀρετῆς* perverse intellexisse quorum alter vocem *ἀρετή* interpretatur *ἀγαθὸν γενέσθαι*, alter *τὰ καλά τε κἀγαθὰ ἔργα*; Simonidis quoque auctoritatem deberes neglegere qui ipse quoque intellexit virtutem moralem; ei enim fr. 58 videtur esse *ἀρετὴ οὐδὲ πάντων βλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος* quod de opibus numquam dixisset, quin vero hunc Hesiodi locum exornet, nemo dubitat. Rectum igitur Peppmuellerus Hes. p. 166 invenisse mihi videtur quamvis a multis graviter vituperatus. Versum quaeso 292 accuratius consideres: *ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει χαλεπὴ περ ἐοῦσα* ubi non via vel *οἶμος* est *ῥηϊδίη* et *χαλεπή*, sed ipsa virtus vel *ἀρετή*; non igitur potes voce *ἀρετή* intellegere opes; nam opes minime et faciles et difficiles sunt ei qui eas quod apparet ex verbis *ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται*, iam adeptus est. Virtutem militarem ab Hesiodo collaudari nemo credo con-

tendit; quam vero aliam notionem possis intellegere, nescio. Hechtius in fine libri exponit quibus de causis haec notio moralis Hesiodi temporibus orta sit; quem inspicias. Sed afferam ea quae Wilamowitzius (Gött. gel. Nachr. 1898 p. 216) ad hunc locum monuit: die *ἀρετή* sei gar keine sittliche Eigenschaft des Menschen — sie sei nichts anderes als bei Homer die Geltung als ganzer Mann, als *ἀνὴρ ἀγαθός* oder *ἐσθλός*; quod certe rectum est; sed ad *ἀρετήν* adipiscendam praecepta moralia sequi necesse erat quod contra Wilamowitzium qui Hesiodum quidem hoc censuisse concedit (daß Hesiod zwar einen sittlichen Wandel für nötig hält, damit einer die *ἀρετή* erlange), recte condendit Ed. Meyerus Forsch. II 370 not. 2 (die Gebote des volkstümlichen Moralkatechismus gehören immer zur *ἀρετή*) communem omnium semper fuisse sententiam. Utrum cum Wilamowitzio consentire (p. 214 die *ἀρετή* ist von Hause aus gar kein sittliches Gut) an cum Meyero illius sententiam negare debeamus, non quaerimus; ad vocem sittliches Gut, non ad vocis *ἀρετή* notionem haec quaestio spectat.

Recentiores quoque moralem hanc notionem usurpaverunt velut Xenophanes Simonides Theognis; afferam Theogn. 147 *ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστιν* qui versus a Theophrasto sec. Michael. Ephes. ad Arist. eth. Nic. 5. 3 et Phocylidi et Theognidi tributus ab ipso Aristotele proverbium vocatur; recte ab Usenero Jbb. 117. 69 Reitzensteinio de epigr. et scol. p. 66 utrique abiudicatur.

Thucydidis aetate nonnullae notiones morales vocis *ἀρετή* novantur. Probitatis notio ab Euripide primum usurpatur velut Hercul. 342 ubi Amphitruo ad Iovem:

ἀρετῇ σε νικῶ θνητὸς ὢν θεὸν μέγαν ·
παῖδας γὰρ οὐ προύδωκα τοὺς Ἡρακλέους;

neque adulterium se commisisse neque amicos prodidisse. Similiter Corinthiorum legati Athenis apud Thuc. *α* 37.5 «si re vera, inquiunt, fuissent viri boni, eo magis virtutem praestare potuerunt, et dantes et recipientes iusta, quo minus poterant a finitimis subigi»; potuerunt enim demonstrare se esse homines probos ac iustos qui aequo iure agere ac disceptare vellent; ubi *ἀρετή* quae est probitas, civitatibus tribuitur. Eandem virtutem Thucydides videtur intellexisse cum diceret *η* 86. 5 Niciam omnium aequalium minime dignum fuisse qui talem mortem subiret, *διὰ τὴν πᾶσαν ἐς ἀρετὴν νενομισμένην ἐπιτήδευσιν*; quae verba Langius Jbb. 1892 p. 833 defendit ac recte explicat; similiter credo *β* 71. 3 *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ προθυμίας τῆς ἐν ἐκείνοις τοῖς κινδύνοις γενομένης*. Demosthenes quoque videtur probitatem intellexisse 19. 75 *οὐδὲ γὰρ Λακεδαιμονίους διὰ τὴν ἀρετήν ποτ' αὐτῶν ἐσώσατε*; qui 19. 142 *εἰς ἀρετῆς λόγον καὶ δόξης* simul intellegit integritatem et eam virtutem quae civitatibus utilis est; itaque integritatem ad rem publicam refert.

Cum haec notio ab origine tributa sit omnibus Graecis, animi magnitudinis notio vocis *ἀρετή* a Thucydide quater adhibita semper ad Athenienses refertur. Quae notio ab Herodoto non usurpatur, ne eo quidem loco 7. 102 ubi virtutis quasi partes afferuntur. Contra Thuc. *δ* 19. 2 *νομίζομέν τε τὰς μεγάλας ἔχθρας μάλιστ' ἂν διαλύεσθαι βεβαίως οὐκ ἢν ἀνταμυνόμενός τις καὶ ἐπικρατήσας τὰ πλείω τοῦ πολεμίου κατ' ἀνάγκην ὅρκοις ἐγκαταλαμβάνων μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ξυμβῇ, ἀλλ' ἢν παρὸν τὸ αὐτὸ δρᾶσαι πρὸς τὸ ἐπιεικές, καὶ ἀρετῇ αὐτὸν νικήσας παρὰ ἃ προσεδέχετο μετρίως ξυναλλαγῇ* apparere *ἀρετήν* dicit *ἐν τῷ ξυμβῆναι ἐς τὸ ἐπιεικές*; ubi Classen Steup. recte explicant „Großmut", atque accuratius praef. p. LI „die Großmut, die den Schwächeren nicht das volle Übergewicht empfinden läßt, sondern ihn lieber durch Wohltaten verpflichtet"; *ἀρετή* enim est contraria illis *ἀνταμυνόμενος* et *ἐπικρατήσας τὰ πλείω τοῦ πολεμίου* quibus verbis vituperatur is qui maiore vi usus in pace constituenda studet nimia commoda sibi parare; intellegenda igitur est illa virtus quam secuti homines nolunt adipisci vel commoda vel alia quae sibi sint grata si quamvis iure ac merito ea reciperent, aliis nocerent. Eandem Thucydides proxima quoque paragrapho intellegit verbis *ἀνταποδοῦναι ἀρετήν*. Quin etiam *δ* 86. 5 eam laudat virtutem qua excitati alicuius urbis cives totam Graeciam liberare studerent; accedit igitur ad quasi negativam illam animi magnitudines vim ut positiva illa virtus qua commoti homines actiones aliis utiles, ipsis noxias vel laboriosas suscipiunt magnum aliquid atque valde laudabile secuti. Quam significat Antiphanes quoque fr. 210 *ἀρετή τὸ προῖκα τοῖς φίλοις ὑπηρετεῖν*. Maxime vero aucta haec notio extat apud Thuc. *β* 51. 5 v. 20 cf. Viger. de praecip. graec. dict. idiot.[4] p. 78 Lang. Jbb. 1892 p. 829 ubi de pestilentia agitur: *εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο, καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιουμένοι*; cf. Ps. Lys. epitaph. 10, 41, 71. Xenophon quoque animi magnitudinem illam quasi negativam intellegit exped. 1. 4. 9 verbis *ἀκούοντες τὴν Κύρου ἀρετήν*; Cyrus enim neque Graecos qui aufugerant, ipsos persecutus neque eorum liberos vel feminas ultus erat, quin etiam eorum virtutem militarem collaudaverat. Ipse

vero Xenophon hanc notionem ad vitae usum vilissimum transtulit, ad liberalitatem; ita exped. 6. 4. 8 *τῶν γὰρ στρατιωτῶν οἱ πλεῖστοι ἦσαν οὐ σπάνει βίου ἐκπεπλευκότες ἐπὶ ταύτην τὴν μισθοφορίαν, ἀλλὰ τὴν Κύρου ἀρετὴν ἀκούοντες — ὡς χρήματ' αὐτοῖς κτησάμενοι ἥξοντες πάλιν, ἀκούοντες καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παρὰ Κύρῳ πολλὰ καὶ ἀγαθὰ πράττειν· τοιοῦτοι ὄντες ἐπόθουν εἰς τὴν Ἑλλάδα σῴζεσθαι*; divites igitur in patriam redire voluerunt; speraverunt igitur se liberalitate Cyri magnam pecuniam adepturos esse; neque enim militarem Cyri virtutem spectaverunt ita ut multum praedari possent; nam Xenophon expresse dicit *ἐκπεπλευκότες ἐπὶ ταύτην τὴν μισθοφορίαν*, non *ἐπὶ τοῦτον τὸν πόλεμον*; significat eos praecipue stipendia spectasse. Cuius virtutis contrariam *πλεονεξίαν* saepissime Xenophon graviter vituperat.

cap. IV.

Feminarum virtus in Homeri carminibus refertur praecipue ad pulchritudinem; velut Penelopa *σ* 251 vel *τ* 124 *ἦ τοι ἐμὴν ἀρετὴν εἶδός τε δέμας τε ὤλεσαν ἀθάνατοι* ad virtutem refert et *εἶδος* et *δέμας*; non enim Eustathio qui interpretatur *πᾶσαν γυναικὸς δεξιότητα, οὐ μόνον τὴν κατὰ φρένας — ἀλλὰ καὶ τὴν κατὰ ἔργα καὶ οἰκονομίαν καὶ ὅσα τοιαῦτα*, vel denique *τὸ μεγαλόφρον*, fidem habeo neque Doederlinio assentior qui glossar. Hom. n. 536 intellegit „geistige Tüchtigkeit, Klugheit, Einsicht". Postea quoque ad feminarum virtutem pulchritudo quoque referebatur; quin etiam ab ipso Socrate ap. Xenoph. oec. 10. 1 ea spectatur; qui *ὡς ἐμοί*, inquit, *πολὺ ἥδιον ζώσης ἀρετὴν γυναικὸς καταμανθάνειν ἢ εἰ Ζεῦξίς μοι καλὴν εἰκάσας γραφῇ γυναῖκα ἐπεδείκνυεν*; neque vero negari potest a Socrate respici eam quoque virtutem quae ab Ischomacho cogitatur *πάνυ μεγαλόφρονα αὐτῆς* sc. cuiusdam feminae narraturo. Similiter Xenoph. inst. Cyr. 5. 1. 5 voce *ἀρετή* notat Pantheae cum pulchritudinem tum nobilitatem quandam corporis; ea enim cum surgeret, *διήνεγκε — πρῶτον μὲν τῷ μεγέθει, ἔπειτα δὲ καὶ τῇ ἀρετῇ καί τῇ εὐσχημοσύνῃ, καίπερ ἐν ταπεινῷ σχήματι ἑστηκυῖα*. Qua ratione nisus Sturzius hanc virtutem ad bonam valetudinem referat, nescio; quando enim spectas aliquem, qui surgit, postquam vidisti eum magnae staturae esse, minime statim animadvertis num bonae sit valetudinis; atque ii qui feminam nobilem in bello ceperunt, curiosis animis cum eam spectarent, certe non quaesiverunt num sani corporis esset, sed num pulchra nobilisque staturae.

Sed in Homeri carminibus ut altera feminarum virtus collaudatur fides erga maritos; ita *ω* 192 *ἦ ἄρα σὺν μεγάλῃ ἀρετῇ ἐκτήσω ἄκοιτιν*; sed versus certe recentissimae est aetatis. Euripides autem de quo cf. Brunsium Frauenemanzipation in Athen Kiliae 1900, credidit fidem atque amorem erga uxores a maritis non postulari, debere tamen erga viros fidem praestare mulieres; quod Nestleius in libro de Euripide conscripto p. 251 monuit. At ipse Euripides Ion. 863 Creusam introducit mariti fidem expostulantem:

πρὸς τίν' ἀγῶν' ἂν θείμεσθ' ἀρετῆς
οὗ πόσις ἡμῶν προδότης γέγονεν;

quae nulla re se prohiberi antea dicit quominus profiteatur se non integram Xuthi matrimonium inisse; nullum enim iam esse virtutis certamen cum maritus notho filio qui est sec. v. 837 s. *ἀμήτωρ, ἐκ δούλης τινὸς γυναικός*, regnum traditurus sit. Credit igitur Creusa si maritus fidem laeserit, se eam servare non iam debere; eandem ergo fidem praestare debent et maritus et uxor. Tamen cum Nestleio consentire debemus; Creusa enim certis causis commota minoris maritum fecit quam fieri solebat; eo enim homine peregrino in genus regium recepto autochthonia quae servanda summa opera a Creusa postea curatur, interrupta erat; atque quidquid potestatis atque dignitatis Xuthus habet, per Creusae matrimonium nanctus est; quas ob causas Creusae sententiam omnium feminarum fuisse communem credere non debemus. Euripides fr. 909 *οὐδεμίαν ὤνησε κάλλος εἰς πόσιν ξυνάορον, ἀρετὴ δ' ὤνησε πολλὰς* tribuit *ἀρετήν* iis quae neque maritorum deformitate offenduntur et iisdem vel gaudii vel doloris affectibus commoventur ac mariti. Summi hoc loco Euripides aestimat feminas; aliis locis eas prorsus contemnit, velut ipsam Andromacham v. 207 Hermionae respondentem facit *οὐ τὸ κάλλος, ὦ γύναι, ἀλλ' ἀρεταὶ τέρπουσι τοὺς ξυνευνέτας*; nam et hoc loco et v. 225 eas collaudat feminas quae ita maritos diligant ut nil velint nisi maritis placere voluptatesque parare, et sine altercatione aemulatrices patiantur; haec etiamsi re vera ipsius poetae erat sententia, certe solius eius erat. Similiter Iph. Aul. 568 cf. Nestl. p. 267 s. et p. 223:

μέγα τι θηρεύειν ἀρετὰν
γυναιξὶ μὲν κατὰ Κύπριν
κρυπτὰν, ἐν ἀνδράσι δ' αὖ
κόσμος ἔνδον ὁ μυριοπλή-
θης μείζω πόλιν αὔξει.

Euripides censet virtutem quae feminis sit appetenda, latere; esse eam *κατὰ Κύπριν*, sc. eam respondere veneri libidinique maritorum; eandem igitur feminarum virtutem intellegit atque in Andromachae illis verbis; quae hoc loco quia laudatur a choreutis, ad ipsius poetae sententiam referri potest. Quaecunque autem maritorum fidem violavit, eam Euripides censet esse interficiendam ne pluribus ab ea corruptis virtus sc. maritorum fides evanescat. Sed animorum quandam magnitudinem Euripides nonnullis tribuit; ita Iphigeniis; quamquam Iph. Aul. 1562 ubi nuntius:

τοσαῦτ' ἔλεξε · πᾶς δ' ἐθάμβησεν κλύων
εὐψυχίαν τε κἀρετὴν τῆς παρθένου,

ab omnibus viris doctis praeter Weilium sept. tragédies d'Euripide p. 310 eicitur simul cum reliquis postremis fabulae versibus; sed eadem notio extat suppl. 1063 *ἀρετῇ* sc. *νικῶσα· πόσει γὰρ συνθανοῦσα κείσομαι.*

Thucydidis afferendus est locus *β* 45.2 ex Periclis oratione funebri sumptus; ubi «si autem, inquit Pericles, *γυναικείας τι ἀρετῆς* mihi est commemorandum, earum quotquot nunc viduae erunt, brevi admonitione omnia significabo: merito vobis licet sperare non minus bonas vos futuras esse quam secundum vestras naturas fieri potestis, atque ei quae minime *ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου* virorum in oribus versatur, laus evenit»; paucissima igitur verba Periclem ut feminarum virtutem laudet, consumere fingit Thucydides; item atque Euripides eam latere opus esse dicit, nihil est quod si faciant atque agant, laudem sibi parare possint; tantummodo aliquid est quod si sinunt, non vituperantur; sed Pericles viduas alloquitur; matrimonium igitur spectare nequit.

Xenophon autem virtutem quasi domesticam feminarum magni aestimat; velut oec. 7. 43 *τὰ γὰρ καλὰ κἀγαθὰ — οὐ διὰ τὰς ὡραιότητας, ἀλλὰ διὰ τὰς ἀρετὰς εἰς τὸν βίον τοῖς ἀνθρώποις ἐπαύξεται*; nam hoc *τὰ — καλὰ κἀγαθά* intellegit iucunditatem quandam domesticam; ea augetur illis virtutibus quae pertinent ad vitam domesticam bene administrandam. Apollonidae postremo afferamus sententiam fr. 2 p. 825 Nauck.:

γυναικὸς ἀρετὰς ἀξίως ἐπαινέσαι σοφοῦ τινος γένοιτ' ἂν ἵστορος λόγων;

huius igitur aetate Graeci mihi videntur coepisse credere pluris feminarum virtutes aestimandas esse quam ipsi maioresque eas habuerint.

Bestiis quoque et rebus *ἀρετή* inesse potuit. Velut *Ψ* 276 *ἴστε γὰρ ὅσσον ἐμοὶ ἀρετῇ περιβάλλετον ἵπποι* ubi Achilles intellegit solam equorum celeritatem; ap. Xenoph. autem Hier. 6. 15 *ὥσπερ γε καὶ ἵππος εἰ ἀγαθὸς μὲν εἴη, φοβερὸς δὲ μὴ ἀνήκεστόν τι ποιήσῃ, χαλεπῶς μὲν ἄν τις αὐτὸν ἀποκτείναι διὰ τὴν ἀρετὴν, χαλεπῶς δὲ ζῶντι χρῷτο, εὐλαβούμενος μή τι ἀνήκεστον ἐν τοῖς κινδύνοις ἐργάσηται* quamquam equus est bonus virtutisque plenus, timendum est ne *ἀνήκεστόν τι* faciat cum coerceri non possit; equorum igitur *ἀρετή* non pertinet ad educationem quam nos solemus inter alia respicere si equum bonum vocamus, sed ad corpus pulchrum celeritatemque. Idem in ceteris quoque Xenophontis exemplis intellegendum esse credo; velut Hier. 2. 2 Simonides de iis, qui opibus ac potentia praestant, ait: *κέκτησθε δὲ διαφέροντας μὲν ἀρετῇ ἵππους*; mera celeritas intellegitur Hier. 11. 5 *νικᾶν ἅρματος ἀρετῇ* ubi voce *ἅρμα* notantur equi curru iuncti item atque in vocibus *ἅρματα τρέφειν* et *ἁρματοτροφία*. A Ps. Anacr. 102. 2 quoque et a Platone rep. 1 p. 335 B laudatur equorum virtus; canis alicuius virtus venatica praedicatur in epigrammate quod inter Simonidea fr. 130 habetur.

Terrae virtus, itaque id propter quod terra magni habetur, est fertilitas atque ubertas; quae ab Herodoto 4. 198; 7. 5; 8. 144 et Thucydide velut *α* 24 commemoratur, et ab Isocr. 4. 108 Plat. leg. 5 p. 745 Crit. p. 110 E p. 117 B Ephor. fr. 52 *κατανοῆσαι τὴν οὐδένειαν τῶν ἀνθρώπων καὶ τὴν ἀρετὴν της γῆς*; contrarie Ephor. fr. 60 *διὰ τὴν λυπρότητα τῆς χώρας*; atque postea quoque terrae virtus laudatur velut saepe a Polybio et a Strabone 13 p. 612 p. 627. Etiam lanae bonitas voce *ἀρετή* notatur Herod. 3. 106 *εἴρια καλλονῇ τε προφέροντα καὶ ἀρετῇ*. Rebus quoque artificiose fictis virtus inest, velut Aristoph. fr. 14 *δὶ ἀρετὴν τῶν θηρικλείων* vasis ratione Thericlis pictis.

cap. V.

Dietericus in libro cui inscripsit Necyia p. 178 s. docet multis e locis apparere illa *πάντων μέτρον ἄριστον* Ps. Phoc. 69 et *καλόν δ' ἐπὶ μέτρον ἅπασιν* ibid. 14 et *τὸ γὰρ μέτρον ἐστὶν ἄριστον* 98 ad vetustas Graecorum sententias pertinere item atque illud *μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον* 38 ex dictis aureis Pythagorae tributis; atque Theogn. 401 *καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος* et Hes. op. 694 *μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρός δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος* legendum esse *μέτρον* pro *καιρός*.

Omnibus his locis *σωφροσύνη* iam commendatur. Apud Homerum hoc non fit; Ps. Dioscorides vero apud Athen. 1. 15 p. 18 Kaib. qui docet *ὅτι Ὅμηρος ὁρῶν τὴν σωφροσύνην οἰκειοτάτην ἀρετὴν οὖσαν τοῖς νέοις καὶ πρώτην κτλ.*, inepta protulit. Apparet ab Homero temperantiam inter virtutes haberi non potuisse; neque enim ipsius fortitudinis reliquaeque virtutis bellicae temperantia suaderi atque laudari poterat; quo quis erat fortior, eo laudabilior; neque aliis virtutibus fortitudinis temperantia postulabatur. Nondum igitur singulae virtutes ita separatae cogitantur ut hanc si solam sequebantur, illam neglegerent; ut si ambabus simul satis facere volebant, partim hanc, partim illam sequi deberent quatenus alterius officium non violabant.

Idem valet de Hesiodi carminibus; ne Hesiodus quidem tot atque ita diversas novit virtutes ut altera possit cum altera interdum repugnare, qui si mediocritatem quandam suadet, nullo modo ad virtutem eam refert; ut rustici ipsa in vita vili ac cotidiana degenda omnibus actionibus immodestis abstineant, suadet; quod ne ipsum quidem princibus qui in Homeri carminibus finguntur, belli gloriam sitientibus semperque summis in periculis versantibus quia sit utile ad vitam longam ac sanam degendam, ullo modo poterat commendari. Hoc ut iis quos Dietericus attulit locis ita aliis quoque posterioris aetatis praecipi solet ita ut ad ipsum vitae usum pertineat, non ad virtutem; quod *σωφροσύνη* vocari eo facilius poterat quia ut omnes notiones morales Graecorum in mentibus quasi activae intelleguntur, ita *σωφροσύνη* quoque ad agendum pertinet. Primus Theognis videtur referre *σωφροσύνην* ad virtutem si v. 335 ipse composuit:

μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· πάντων μέσ' ἄριστα· καὶ οὕτως
Κύρν', ἕξεις ἀρετήν, ἣν τε λαβεῖν χαλεπόν,

neque vero utrum virtutem moralem an opes auctoritatemque magis spectet, diiudicare possum.

Postquam moralis vis virtutis ceteras notiones superavit, haec quasi mediocritas relata est ad libidinum temperantiam quae inter virtutes morales numerabatur, multo tamen minus valebat quam nostra aetate virtus quae vocatur „Sittlichkeit“ vel „Keuschheit“; hanc enim fere solam intellegere solemus voce „tugendhafter Lebenswandel“; quae virtus praecipue respicitur ab Aesch. 1. 191 *ἐξαιρεῖτ' οὖν—τὰς τοιαύτας φύσεις καὶ τὰ τῶν νέων ζηλώματα ἐπ' ἀρετὴν προτρέψασθε*; illae enim *αἱ τοιαῦται φύσεις* propriae sunt iis quorum

in animis *αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖσθαι* nimium valent; quae ut *ἀσελγεῖς* antea vituperantur. A Xenoph. mem. 3. 9. 4; 4. 5. 7 vox *σωφροσύνη* hac notione usurpatur si fidem habemus Leop. Schmidtio I 311 qui explanatius hac de voce egit. Neque vero virtutis causa Xenophon suadet ut temperentur libidines, sed ut continentia in posterum multiplex reservetur voluptas quod e loco inst. Cyr. 1. 5. 9 recte effecit Hartmannus anal. Xenoph. nov. p. 40.

Ex Euripidis fr. 446 apparet ei virtutem moralem atque *σωφροσύνην* fere idem esse; ubi *σωφροσύνη, ἀρετή, εὐσέβεια* eodem sensu usurpantur, quin etiam ad eiusdem hominis virtutem referuntur:

ὦ μάκαρ οἵας ἔλαχες τιμὰς
Ἱππόλυθ' ἥρως, διὰ σωφροσύνην
οὐπότε θνητοῖς
ἀρετῆς ἄλλη δύναμις μείζων·
ἦλθε γὰρ ἢ πρόσθ' ἢ μετόπισθεν
τῆς εὐσεβίας χάρις ἐσθλή;

tres hae voces satis indefinite adhibentur; aliter enim ad idem pertinere vix possunt. Hoc loco ipse cotidianae vitae usus iam minime respicitur; a philosophis deinde et haec libidines coercendi notio vocis *ἀρετή* et ipsa vox *σωφροσύνη* receptae plane ad mores referuntur; quod nobis non est tractandum. De tota hac quaestione cf. Leop. Schmidtium I 311 et Nestleium p. 486 not. 109 ad p. 202 ad Eurip. Iph. Aul. 1089 s. et in philol. suppl. 8. 1900 p. 573 p. 591.

cap. VI.

De virtute civili nunc agamus; prius autem moneamus barbaris virtutem non tribui;[1]) quin etiam Eratosthenes ap. Strab. 1 p. 66 cf. Eichhorn. *Βάρβαρος* quid significaverit p. 59 Graecos et barbaros vult dividi virtute et malitia sc. *ἀρετῇ καὶ κακίᾳ*; neque Xenophon Cyrum maiorem cuius virtutem collaudat, descripsit ut regem barbarum, sed talem quem summum atque optimum mente sibi finxerat quod iam animadvertit Cic. ad Qu. fr. 1. 1. 8, ac multa ei tribuit quae Agesilaum semel saepiusve facientem viderat quod

[1]) cf. Burckhardt. Griech. Kulturgesch. I 314, 325.

affirmat Hartmannus anal. Xenoph. nov. p. 55, nonnulla quoque quae ipse perfecerat cf. Hartm. p. 56 s. Similiter Euripides quoque Cassandram Polyxenam Andromacham Tecmessam Medeam non in scenam ducit feminas barbaras cf. Eichh. p. 37. Solius Cyri minoris hominis barbari virtutem collaudasse videtur Xenophon ut erat rerum peregrinarum admirator.

In Homeri autem carminibus haec notio plane deest; illi principes enim neque populos suos adamant, sed iis gaudent eadem ratione atque opibus, neque totam Graeciam diligunt; minime enim ut Graecorum honorem restituerent, Troiam profecti sunt, neque ab origine tam multi Graeci fingebantur hanc expeditionem fecisse, sed plerosque postea additos esse credo ab iis vatibus quorum intererat alicuius gentis principes collaudari. Ne apud Herodotum quidem haec notio invenitur etsi in bellis Medicis narrandis certe saepissime ei fuisset cur hanc virtutem laudaret. Sed Graeci cum contra Persas se coniungerent, non totius Graeciae amore erant commoti, sed singularum civitatum studio quae omnes a Persis ne delerentur timebant; atque hic amor patriae in ipso bello minus apparuit. Atque quod Lycurgus § 104 dicit maiores Atheniensium pro tota Graecia mori non dubitasse, iniuria eos collaudavit.

Neque enim huius virtutis notio nasci poterat nisi democratiae iam antea erant perfectae. Primum apud Thucydidem invenitur; velut β 37. 1 *οὐκ ἀπὸ μέρους τὸ πλεῖον ἐς τὰ κοινὰ ἢ ἀπ' ἀρετῆς προτιμᾶται* virtus idem atque *ὡς ἕκαστος ἔν τινι εὐδοκιμεῖ* quod sequitur, referenda est ad illas praestantias quae apparent in rei publicae studio. Explanatius Socrates ap. Xenoph. mem. 4. 2. 11 *οὐ δήπου, ὦ Εὐθύδημε, ταύτης τῆς ἀρετῆς ἐφίεσαι δι' ἣν ἄνθρωποι πολιτικοὶ γίγνονται καὶ οἰκονομικοὶ καὶ ἄρχειν ἱκανοὶ καὶ ὠφέλιμοι τοῖς τε ἄλλοις καὶ ἑαυτοῖς*; qui comprobante Euthydemo pergit *νή Δία — τῆς καλλίστης ἀρετῆς καὶ μεγίστης ἐφίεσαι τέχνης· ἔστι γὰρ τῶν βασιλέων αὕτη καὶ καλεῖται βασιλική*; generaliter autem *πολιτικοί* dicuntur ii qui recte erga rem publicam se gerunt; *οἰκονομικοί* ii qui domestica bene curant; num hoc ad rem publicam quoque pertineat, intellegi nequit; sed illi viri oeconomici omnibus temporibus res publicas conservaverunt; ii qui tumultibus ortis rebus publicis periculo sunt, numquam suas res bene administrant quia nil possident; qui nil perdere, omnia adipisci possunt. *ἄρχειν ἱκανοί* refertur ad magistratus; regia autem haec virtus vocari poterat quia neque

Athenis neque Romae regis nomen iis qui liberam rei publicae formam adamabant, ita odio fuit quam nostris temporibus; retinebatur etiam hoc nomen ad singula munera notanda; itaque haec virtus ad magistratus quoque pertinet, quin etiam ad omnes qui multum valent in re publica administranda. Illo *ὠφέλιμοι ἑαυτοῖς* Socrates concedit ut sua sequantur magistratus si quidem ceteris vel rei publicae non obsunt, neque magis eorum est rei publicae prodesse ipsis nocentes. Haec virtus est pulcherrima quia omnium summi ea parantur honores; est *μεγίστη τέχνη* quia summi momenti est in re publica administranda et quia maximam tribuit potentiam.

Sunt quaedam necessaria ei qui huius virtutis laudem sibi tribui vult; cuiusmodi ea fuerint, docet Aesch. 3. 246 *κηρύττεται ἐν τῷ θεάτρῳ ὅτι στεφανοῦται ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ἀνδραγαθίας καὶ εὐνοίας ἄνθρωπος ἀσχημονῶν τῷ βίῳ καὶ βδελυρός*; necessaria igitur sunt contraria illorum *ἀσχημονῶν* et *βδελυρός* quae sunt dignitas et honestas.

Mirum fortasse alicui videtur quod legum oboedientia ad virtutem civilem non pertinet; sed priusquam hoc explicamus refutamus illos qui fortasse alium quendam Aeschinis locum ut refellant hanc sententiam, afferant, sc. 3. 232 *οὐ κυκλίων χορῶν κριταὶ καθεστηκότες, ἀλλὰ νόμων καὶ πολιτικῆς ἀρετῆς* quo loco *κριταί* sunt arbitri; recte schol. *καταχρηστικῶς λέγει τὸν δικαστὴν· κριτὴς γὰρ ὁ κρίνων τοὺς τραγῳδοὺς καὶ τοὺς ἄλλους ἐπὶ σκηνῆς*; Aeschines certe quia translate utitur voce *κριταί*, apponit *τῶν νόμων* ut indicet iudices esse intellegendos; tamen licet *νόμων κριταί* sic interpretari ut sint ii qui iudicent quatenus leges sequantur quidam aut violent, sed falsa ratione usus hoc ex loco colligeres virtutis civilis partem satis gravem esse legum oboedientiam; quin etiam aperte *πολιτικὴ ἀρετή* segregatur a legum obsequio. Quod Graeci hanc virtutem ad notionem vocis *ἀρετή* pertinere non censent, ex eo factum est quod virtus civilis illis tribuitur quicunque ita rei publicae student ut honorem hoc studio adipiscantur; quod sequitur e vocis *ἀρετή* natura cf. p. 38. Oboedientia autem certe est aliquid „das taugt", ergo „eine Tugend", sed honoris mera oboedientia non multumt ibi parabis; neque tum libera re publica oboedientia multum valebat; immo unusquisque studebat videri esse vir liber qui nemini obsequeretur; quam ob rem barbari quippe qui tyrannorum dictis audientes essent, a Graecis servorum loco habebantur quod docet Eichhornius *Βάρβαρος* quid significaverit diss. 1904 p. 19, 21, 24,

32, 40, 47, 54. Velut Daiphernes in Xenoph. inst. Cyr. 8. 3. 21 negat viro libero dignum esse diligenter ac celeriter oboedire; sed hanc ob sententiam a Xenophonte qui militum oboedientiam summi facit velut inst. Cyr. 2. 2. 30; 4. 1. 3; 7. 2. 5 cf. Hartmannum anal. Xenoph. nov. p. 24 s. p. 55 atque totum Agesilaum, homo *σολοικότερος τῷ τρόπῳ* vocatur. De oboedientia militari videas p. 12.

Accuratius quid contineat notio civilis virtutis, comperimus ex Aesch. 3. 226 qui contraria affert *τὸν δήμον θωπεῦσαι, τοὺς καιροὺς — ἀποδόσθαι, τοὺς εὖ φρονοῦντας διαβάλλειν —, ἀποδρᾶναι ἐκ τῶν κινδύνων, τὴν πόλιν ἀνηκέστοις συμφοραῖς περιβαλεῖν*; contraria habes haec fere: probitatem et veritatem, animi praesentiam, fortitudinem. Ephorus fr. 64 Cretensium quasdam affert virtutes ad servandam libertatem utiles quae sunt *ὁμόνοια* cuius contraria profert *φθόνον ὕβριν μῖσος*, et *ἀνδρεία* cui opponitur *δειλία*; ad *ἀνδρίαν* spectant *ὅπλα καὶ πόνοι* et *τὸ καταφρονεῖν καύματος ψύχους τραχείας ὁδοῦ ἀνάντους πλαγῶν τῶν ἐν γυμνασίοις καὶ μάχαις ταῖς κατὰ σύνταγμα*. Theopompus fr. 28 quasdam virtutes collaudat quas ad rem publicam etsi expressis verbis non refert, tamen eas certe loco virtutem civilium habet; affert virtutem militarem et eloquentiam; quas gravissimas esse censuit. Explanatius Demosthenes 18. 297 hac de virtute agit cum respondet Aeschini 3. 236 interroganti *διὰ ποίας εὐεργεσίας ἀξιοῖ Δημοσθένης στεφανωθῆναι*; Demosthenes ut contraria huius virtutis affert *τὸ προδοῦναι τὰ δίκαια* et *τὰ συμφέροντα τῇ πατρίδι*; virtutis igitur est studere ea quae iure urbi tribuenda sunt, assequi, atque ea perficere quae urbi sunt utilia fide erga patriam semper servata. Accedunt notatae verbis *ἀπ' ὀρθῆς τῆς ψυχῆς καὶ ἀπὸ δικαίας καὶ ἀπὸ ἀδιαφθόρου* probitas quae sua non sequitur, voluntas recti perficiendi, innocentia; atque postrema *ὑγιῶς πολιτεύεσθαι* et *δικαίως*, sc. sana ratione usum ac leges secutum rem publicam administrare.

Eloquentia igitur a solo Theopompo refertur ad virtutem civilem; quod potes mirari; gravissima enim erat in re publica Atheniensium; ac Cicero Brut. 7. 28 virtutem intellegit eloquentiam quoque; numquam vero voce *ἀρετή* significatur sola ars dicendi; tamen ubi complures afferuntur virtutes, facundia quoque profertur velut a Tyrt. 128 Theogn. 699, recentiore vero aetate ante Theopompum nusquam. Fortasse eloquentia arte ornata magis era *τέχνη* quam *ἀρετή*.

Graeci igitur multo plura referebant ad virtutem recte erga

rem publicam se habendi quam nos; amplectebantur enim simul nonnulla sine quibus amorem patriae exercere ita ut honorem adipiscerentur, non poterant. Ita Graecorum virtus civilis nostra lingua sic est definienda ut ea comprehendantur „achtungbringende, sich äußernde Eigenschaften, die der Betätigung der Vaterlandsliebe dienen".

Totius autem Graeciae amorem mentibus amplecti plane non poterant. Ut enim unumquodque animorum proprium Graecorum mentibus semper ita intellegitur ut exerceatur, ita aliquid quod exercere non poterant, mentibus ad certam notionem comprehendere nequibant. Atque apparet eos hoc totius Graeciae studium iis temporibus quae tractamus, numquam exercuisse ita ut talis notio nasci posset; nam ex iis quae modo explicavimus, efficitur novam aliquam virtutis notionem fieri non potuisse nisi antea quaedam facta sunt quae causis quarum conscii non erant, orta postea e singulari atque tota nova aliqua virtutis notione nata esse crediderunt.

cap. VII.

Iam in Homeri carminibus vox *ἀρετή* generali sensu usurpatur singulis notionibus quasi latentibus. Saepe vero (*O* 642 *δ* 725 *δ* 815 *σ* 205) apposito adiectivo *παντοίη* expresse notatur generalem quandam notionem intellegendam esse; omnibus autem locis excellendi vox est addita; saepissime *ἔξοχος*, ita *Ξ* 118 *σ* 205 *δ* 629 = *φ* 187, vel *κεκασμένος δ* 725 *δ* 815, semel *ἀμείνων O* 642 *μείζων I* 498 *κρείσσων Ψ* 578; paucis Odysseae locis huiusmodi vox deest, ita *β* 206 *μ* 211 *ξ* 212, sed *ξ* 212 illo *οὐδὲ φυγοπτόλεμος* notio magis definitur et excellendi vis modeste supprimitur. Etiam *δ* 629 *ἀρετῇ δ' ἔσαν ἔξοχ' ἄριστοι* vox *ἀρετή* generali hoc sensu usurpatur; minime hoc loco *ἀρετή* est iaciendi virtus; nam et Antinous et Eurymachus sedent, cf. *καθῆστο* v. 628, nondum cum reliquis certant; ne *φ* 187 quidem quo loco idem versus extat ac *δ* 629, *ἀρετή* est iaciendi virtus; nam tales principum laudes ad id quod modo agitur, non pertinent, velut *Ψ* 581 Menelaus vehementi ira incensus Antilochum appellat *διοτρεφές*; ambobus igitur locis vox *ἀρετή* prorsus generaliter usurpatur.

Sed ex eo quod *X* 268 *παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο* ubi virtus militaris intellegitur, apposita est vox *παντοίη*, apparet hoc loco

fere eandem intellegendam esse notionem quam nos vocamus generalem; itaque generalis notio Homerica potissimum refertur ad corporis virtutem bellicam. Idem apparet e vv. ϑ 133/250 ubi v. 167/8 *φυή, φρένες, ἀγορητύς* vocantur *χαρίεντα*, non *ἀρεταί* atque virtutis laude effertur solum corporis robur arte exercitatum quod valet ad certaminum praemia adipiscenda. Altera autem notionis generalis Homericae quasi pars consistit in opibus qua de re cf. c. II p. 16; sed corporis virtute multo maiores honores parantur. Idem fere censet Tyrtaeus fr. 12; Xenophanes tamen fr. 2 poet. phil. Diels. p. 36 longe praeferendam esse censet sapientiam ad quam referre videtur virtutem moralem, iis corporis atque opum quoque virtutibus quae valent ad certamina; simillime Xenophon inst. Cyr. 3. 1. 16 necessariam esse censet *σωφροσύνην*; praeterea ipse quoque affert corporis virtutem militarem ad quam inter alia refert artem equitandi, et opes. Contra Theognis hoc virtutum ordine relicto exhibet primo loco opes, *σωφροσύνην* altero, tertio mentis, quarto corporis virtutem miris illis versibus 699 ss. qui a ceterorum omnium sententiis compluribus rebus prorsus abhorrent cf. p. 44. Quibus e locis facile intellegis quas virtutes Graeci cum generalem notionem adhiberent, cogitaverint; sed sophistis docentibus notionem moralem ut primariam intellexerunt ut generali notione cogitata ceteras virtutes mentibus paene neglegerent. Huius aetatis exemplis minime opus est; tantummodo afferam Aesch. 3. 260 *ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετὴ καὶ σύνεσις καὶ παιδεία*; sed moneam ea quae memoria digna sunt.

Virtus enim quaedam inde ab Euripidis Thucydidisque temporibus saepe collaudatur maiorum. Haec *τῶν προγόνων ἀρετή* quamvis interdum ad excellentiam cum civilem tum militarem relata accuratius non definita neque a ceteris notionibus distincta erat, sed indefinite haec notio usurpabatur. Quod miri nil praebet; hac enim notione Graeci omnes eas virtutes comprehendebant quarum maiores participes, se ipsos plus minusve expertes esse censebant; eas vero neque ad unam solam notionem neque ad omnes simul referebant, sed ad huius vel illius notionis vim aliquam vel partem a recentioribus mutatam; itaque illam maiorum virtutem magis e diversis partibus compositam et a notionum distinctarum ratione magis alienam animis fingebant quam ut mentibus accuratius eam definire potuerint.

Eam vero virtutem quam crediderunt bellorum Medicorum

aetate floruisse, iam relictam esse putabant; quam saepissime summis laudibus effere solebant. Quod in epitaphiis paene semper fiebat, cf. Blassium de eloqu. att. I² 436, velut in Periclis oratione funebri a Thucydide ficta, a Platone in Menexeno, in Ps. Lysiae epitaphio paene toto; contra paucissimis verbis in Hyperidis epitaphio (§ 3). Cur praecipue talibus in orationibus maiorum virtutes collaudaverint, non quaeramus; plurimi certe priores imitati sunt quod Ps. Lysias § 2 expresse affirmat; neque vero credo usquam maiores ob virtutem praedicari nisi in orationibus. Omnium saepissime Demosthenes hunc locum communem usurpavit; e XL locis quibus voce *ἀρετή* utitur, XII locis maiorum virtutem affert, sc. tricenis senis e centenis; si orationes a Lipsio genuinas iudicatas respicimus, sexagenis binis; in spuriarum orationum XXIII locis affertur maiorum virtus II locis; e quibus uno loco laudatur virtus maiorum mythis celebratorum quae a Demosthene numquam commemoratur; alter locus qui est 13. 26, compositus est ad similitudinem loci Demosthenici genuini 15. 35.

Praeterea autem monendum est Graecos saepe etsi generalem hanc notionem cogitarent, definitam notionem adhibere sibi visos esse. Philosophi enim verborum notiones abstractas accurate definiverant; universi autem etsi ipsas philosophorum definitiones ignorabant, tamen quia philosophos definitas notiones adhibere animadvertunt, hanc philosophorum consuetudinem secuti voces a philosophis praecipue usurpatas sibi ipsi quoque videbantur definitas usurpare quamquam indefinitas earum notiones cogitabant. Non igitur ipsas illorum definitiones universi recipiebant praesertim cum eae saepe essent diversae, sed illorum consuetudinem definitarum notionum usurpandarum imitabantur. Quia igitur voce *ἀρετή* notionem quandam definitam significare sibi videbantur, hanc vocem saepe usurpabant quando accurate quid mentibus comprehenderent, non deliberaverant; nam multis ac variis quae mentibus ut obscura amplectebantur, haec vox respondebat; itaque habebant vocem definitam ut videbatur, qua sententias admodum obscuras exprimere poterant dilucide ut credebant; ac quo saepius ad eam refugiebant, eo magis indefinita fiebat notio. Itaque vox *ἀρετή* quamvis notionem accurate definitam videretur significare, usurpabatur ita ut aliqua notio animis vix comprehenderetur quod vernacule vocamus als Phrase; qua ratione ea modo usurpari possunt verba quae in solemni usu sunt ad aliquas sententias significandas quae quid

velint, cogitare nequimus nisi temporis quoquam spatio in deliberando consumpto; quo difficilius igitur tales notionum nexus accurate intelleguntur quoque saepius significantur, eo minus diligenter quid velint, animis comprehenditur. Itaque non mirum est illa *ἀρετὴν ζητεῖν* ac similia praecipue indefinita hac ratione adhibita esse; neque minus in elogiis hunc usum invenimus; paene innumeri reperti sunt tituli quibus tale quid incisum est: *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης, δικαιοσύνης εἷς, φιλοτιμίας εἷς, ἐπιμελείας εἷς, εὐνοίας τῆς εἷς, ἀνδραγαθίας, δικαιοσύνης ἣν ἔχοντες, καλοκἀγαθίας καὶ εὐνοίας εἷς* quos collegit Larfeldius epigr. gr. II 771; velut in classicae quae vocatur aetatis titulis CIA. IV. 2. 109 b 32, 128 b 57, 574 c 14, 169 b 20 a, 173 b 18, 574 d 9; similiter Ctesiphon cf. Aesch. 3. 10, 42, 49, 155, 246; plerumque alterum illud nomen accuratius definitum est; numquam ipsa vox *ἀρετή* coniuncta cum altero aliquo nomine definita est. Quod iam Thucydidis temporibus consuetum erat: nam Thuc. *β* 71. 3 haec figura invenitur; similiter Lys. 18. 3; atque iam Lysias 10. 28 commemorat *ἀρετῆς μνημεῖα*; contra famosae illi columnae Dittenb. I 7 p. 8 Graeci nil inscripserunt nisi *τοίδε τὸν πόλεμον ἐπολέμεον* et nomina populorum neque in epigrammate a Lycurgo § 108 servato *ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν κτλ.* virtus laudatur. Sed poetae cum omnino tum epigrammatici singulares ac varias formulas adhibere debebant; quod dilucidissime ei apparet qui epigrammata Simonidi attributa perlegit atque ea cum inscriptionibus vulgaribus comparat; similiter Parrhasius ap. Ath. 12. 543 C cf. 15. 687 B pro *ἀρετὴν ζητῶν* adhibet *ἀρετὴν σέβων* in epigrammate quod imaginibus suis subscripserat.

Hoc loco monere liceat nonnullos homines vocatos esse nominibus a voce *ἀρετή* derivatis; velut *Ἀρέτης Ἀρέτων Ἀρέτη* cf. Plut. Dion. 3 al. et Bechtelii librum de nominibus feminarum Atticarum conscriptum qui p. 131 similia affert exempla. Etiam navis quaedam vocabatur ipsa voce *ἀρετή*.

Pars altera.

Quoniam singulas *ἀρετῆς* notiones adhuc tractavimus, altera parte ea moneamus quae ad omnes vel complures notiones pertinent. Ac primum quidem quid ipsa sit *ἀρετή*, enucleemus. Viri docti autem iam protulerunt nonnulla haud abicienda. Velut Nitzschius ad. Od. 1 p. 146 censet voce *ἀρετή* significari illud quod reliquis hominibus placeat; eadem ratione iam Zeunius in Viger. de praecip. gr. dict. idiot. p. 79 not. 99 hanc vocem explicaverat. At neque Homeri heroes virtutem militarem neque posterioris aetatis Athenienses virtutem quam ad mores referunt, et *δικαιοσύνην* et *σωφροσύνην* quia aliis eas placere animadvertunt, summo atque primo loco habent. Neque Nitzschii sententiam confirmat grammaticus ille qui *β* 206 ad verba *εἵνεκα τῆς ἀρετῆς ἐριδαίνομεν* non male annotat *τὰ κοσμοῦντα αὐτὴν πάντως λέγει*; recte enim muliebris virtutis in carminibus homericis summam esse corporis pulchritudinem monet quae sane aliis placet; itaque vocis *ἀρετή* loco quod usurpat *τὰ κοσμοῦντα*, de hoc solo versu voluit valere. Neque eo quod veteres quoque nomen *ἀρετή* e verbo *ἀρέσκειν* ortum esse crediderunt, vel e nomine verbum, Nitzschius niti deberet; frustra Ps. Demosth. 61. 20 quoque afferret *ὥστε — σοὶ πᾶσιν καθ' ὑπερβολὴν ἀρέσκειν συμβέβηκεν · ὃ τῆς ἀρετῆς σημεῖον ἐνεργέστατόν ἐστιν* quo ex loco orationis eroticae cauti nil colligimus nisi pertinere ad virtutem probationem quandam reliquorum; neque enim arte etymologica veteres excellebant et illam ob etymologiam sententiam paululum compositam esse apparet.

Recte autem Nitzschius intellexit Graecorum virtutem non modo inesse in ipsorum animis ut die Tüchtigkeit, die Tugend, sed eam sine reliquorum probatione esse non posse; suo igitur iure Wilamowitzius Her. I[1] 238 *ἀρετήν* vertit „Manneskraft und Ehre". Quod Leop. Schmidtius tenuit cum eth. I 1882 p. 295 diceret eam esse „Das was einer Person oder einem Dinge vorzügliche Geltung

verschafft, sei es praktischer, sittlicher, intellektueller oder körperlicher Art". Quod magis comprobem quam illud Nitzschianum; sed accuratius vim et ipsam vocis naturam credimus nos declarare cum ponimus significari omnia ea quibus aliquis perficiat ut a reliquis honore dignus putetur; vernacule „Das was Achtung bringt". Hac nota communi quam Wundtius vocat „Das dominierende Merkmal", ubicunque vocem *ἀρετή* investigavimus — ac paucissimos locos credo nos fugisse — tota ac plena notio comprehenditur nisi ipsa laus scilicet sola mente, non verbis alicui tributa (vernacule „Achtung") vel fama virtutis intellegitur. Quod satis habemus contendere; an totam locorum turbam paene infinitam enumerem? Unum afferas locum quo haec nota non valeat: is satis erit quo refellar.

Inveniuntur autem loci quibus haec notio magis apparet; velut Theogn. 971:

τίς δ' ἀρετὴ πίνοντ' ἐπιοίνιον ἆθλον ἑλέσθαι;

illud *ἐπιοίνιον ἑλέσθαι ἆθλον* esse aliquid propter quod magni habeantur, credunt illi quos poeta vituperat;
idem 654:

εὐδαίμων εἴην κε θεοῖς φίλος ἀθανάτοισιν,
Κύρν' · ἀρετῆς δ' ἄλλης οὐδεμιῆς ἔραμαι.

fortunatum igitur et diis gratum esse est id quo summam dignitatem homines adipiscuntur; itaque *ἀρετή* est honorificum aliquid.
idem 699:

πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίγνεται ἥδε ·
πλουτεῖν.

item 30, 129, 402, 624; cf. quoque 933.
Similiter Simonides fr. 100:

εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν ἀρετῆς μέρος ἐστὶ μέγιστον.

Leop. Schmidtius eth. I 295 notae generalis vim iam sensit cum diceret „das Bemerkenswerte und für das nationale Empfinden Charakteristische ist, daß die Vorstellung der Eigenschaft mit der des dadurch bewirkten Ansehens bei anderen zu einer untrennbaren Einheit zusammenfließt"; idem ad notionem vocis *αἰσχρόν* valere monet I 400 not. 62 cf. p. 372 ad Plat. conviv. p. 194 C, atque simillime voce *κῦδος* interdum significari id quo gloria paratur, monent lexicographi velut *Λ* 405 *Ε* 906 *Θ* 51 *Λ* 81 *γ* 57 *ο* 78 *ο* 320.

Artissime igitur Graecorum in mentibus coniunctae erant ipsa virtus ac virtutis laus atque honos cf. Zielinskium philol. 55. 591 not. 12; quin etiam haec virtutis laus animis tributa, non verbis expressa, poterat ipsa voce *ἀρετή* notari; itaque saepe vox *ἀρετή* vertenda est vel „Achtung der Tüchtigkeit" vel gloria famaque virtutis. Cf. Kühn.-Gerth. gramm. graec. II 1^3 § 346. 6 p. 13 Soph. El. ed. Kaibel. p. 220 ed. Wollf. p. 59 ad v. 627. Primum afferam *Ψ* 571:

ἦσχυνας μὲν ἐμὴν ἀρετὴν, βλάψας δέ μοι ἵππους
τοὺς σοὺς πρόσθε βαλὼν οἵ τοι πολὺ χείρονες ἦσαν

ubi poeta eo quod addit *οἵ τοι πολὺ χείρονες ἦσαν* vult augere vim verbi *αἰσχύνειν*; itaque Menelaum fingit exclamantem: quo vilioribus equis vectus es, eo magis gloriam virtutis meae contaminasti; sic Ameis.-Hentz.^{2} quoque locum interpretantur. Simillime Thuc. *δ* 92. 7 *μὴ αἰσχύνειν τὰς προσηκούσας ἀρετάς*; uterque locus item atque Hyperid. epit. § 3 *μὴ καταισχύνειν τὰς τῶν προγόνων ἀρετάς* interpretandus est secundum Soph. El. 1081 *οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν* (sc. optimatium cf. Theogn. ed. Welcker. p. XXIII) *ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει νώνυμος*. Ut his locis cum verbo *αἰσχύνειν*, ita *ξ* 402 coniuncta cum voce *ἐυκλείη* notio laudis vel gloriae usurpatur:

ξεῖν', οὕτως γάρ κέν μοι ἐυκλείη τ' ἀρετή τε
εἴη ἐπ' ἀνθρώποις,

ac simillime Hes. op. 314 *πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ* quem versum tractat Sittlius in indice philologo XVI 379, neque vero recte Kochius p. 32 Koestlinium eth. gr. I 146 secutus opponit voce *ἀρετή* non significari honorem nisi eum qui tribuatur excellenti cuidam naturae, nam Theogn. 30 *πέπνυε, μηδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασιν καὶ ἀδίκοισιν τιμὰς μηδ' ἀρετὰς ἕλκεο μηδ' ἄφενος* ita notio verbi *ἀρετή* separata est ab honorifico animi statu ut rebus turpibus atque iniustis quasi *τίμια* possint parari, similiter a Bacch. 12. 175 *οὐ γὰρ ἀλα[μπέσι] νυκτὸς πασιφανὴς Ἀρετὰ κρυφθεῖσ' ἀμαυρο[ῦται]* vocatur *ἀρετή* quae intellegenda est gloria, *βρύουσα δόξᾳ*; neque aliter apud Plat. conv. p. 208 D *ἀρετή* et *δόξα* coniunctae ad significandam virtutis gloriam usurpantur. Deinde voci *ἀρετή* notio gloriae saepe tribuebatur in sententia quadam trita; eadem enim significatione qua Bacch. 1. 181 *ἀρετά — καὶ εὖτε θάνῃ λείπει πολυζήλωτον εὐκλείας ἄγαλμα* adhibentur *εὐκλείας ἄγαλμα* vel. 3. 90 *ἀρετᾶς — οὐ μινύθει βροτῶν ἅμα σώματι φέγγος* verba *ἀρετῆς φέγγος*, aliis locis quibus eadem sententia profertur, simplex vox *ἀρετή*

ponitur velut Eur. suppl. 777 *ἁ δ' ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει* et fr. 734 *ἀρετὴ δὲ κἂν θάνῃ τις οὐκ ἀπόλλυται, ζῇ δ' οὐκέτ' ὄντος σώματος*; addam Plat. conv. p. 208 D *ἀλλ' οἶμαι ὑπὲρ ἀρετῆς ἀθανάτου καὶ τοσαύτης δόξης εὐκλεοῦς πάντες πάντα ποιοῦσιν* et Ps. Demosth. 60. 1 *ἀνυπέρβλητον παντὶ λόγῳ τὴν αὑτῶν ἀρετὴν καταλελοίπασιν* sc. *οἱ πρόγονοι*, neque omittam Hyperid. epit. § 32 *μιμεῖσθαι ὡς παράδειγμα τὸν τούτων* (sc. *τῶν ἀποθανόντων*) *βίον ἀνθ' οὗ τὴν ἀρετὴν καταλελοίπασιν* aut § 41 *μεμνῆσθαι — τῆς ἀρετῆς ἧς καταλελοίπασιν*. Etiam praeter triplicem hunc usum notio gloriae saepe usurpabatur; primum a Pindaro velut o. 8. 6 *εἴ τιν' ἔχει* (sc. *Ζεύς*) *λόγον ἀνθρώπων πέρι μαιομένων μεγάλαν ἀρετὰν θυμῷ λαβεῖν* o. 7. 89 *ἄνδρα τε πὺξ ἀρετὰν εὑρόντα* p. 5. 98 *μεγάλαν δ' ἀρετὰν δρόσῳ μαλθακᾷ ῥανθεῖσαν ὕμνων ὑπὸ χεύμασιν ἀκούοντι* (sc. maiores illius qui vicit) n. 5. 53 *πύκταν τέ νιν καὶ παγκρατίῳ φθέγξαι ἑλεῖν Ἐπιδαύρῳ διπλόαν νικῶντ' ἀρετάν* n. 10. 2 *φλέγεται* (sc. urbs Argivorum) *δ' ἀρεταῖς μυρίαις ἔργων θρασέων ἕνεκεν* i. 5. 17 *τιν ἐν Ἰσθμῷ διπλόα θάλλοισ' ἀρετά, Φυλακίδα, κεῖται*; deinde afferam Eurip. fr. 542 quod Philodem. Stob. Clem. Alex. sic servaverunt:

οὗτοι νόμισμα κεῖται ἄργυρος μόνον,
καὶ χρυσός ἐστιν, ἀλλὰ κἀρετὴ βροτοῖς
νόμισμα κεῖται πᾶσιν ἥ χρῆσθαι χρεών;

ubi voce *ἀρετή* cum ipsa virtus tum virtutis intellegitur fama gloriaque qua commoda quaedam comparantur sicut nummis; neque enim Nestleius in libro de Euripide conscripto p. 483 not. 74 locum recte interpretari mihi videtur quamquam recte Gomperzium refellit qui fragmenti 1029 versus quartum et quintum quibus ipsis quoque vox *ἀρετή* usurpatur, hoc cum fragmento coniungendos esse coniecit. Thuc. *α* 33. 2 *ἐς μὲν τοὺς πολλοὺς ἀρετήν* rursus voce *ἀρετή* significatur laus vel fama virtutis, hoc loco probitatis; similiter *α* 69. 1; neque aliter *κακία* est fama malitiae *γ* 58. 1 *καὶ μὴ ἡδονὰς ὄντας ἄλλοις κακίαν αὐτοὺς ἀντιλαβεῖν*; dilucidissime autem *β* 45. 2 *ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου* apparet virtutem cum laude, vitium cum vituperatione una notione in Graecorum mentibus comprehensa esse; Suidas quoque I 1 p. 706 et grammaticus quidam in Bekkeri anecdotis p. 443. 33 testantur Thucydidem et Andocidem usurpasse vocem *ἀρετή* ad significandam notionem *εὐδοξίας* qui quos locos spectaverint, non audeo diiudicare praesertim cum verba quaedam et a Dionysio ep. ad Am. 2 c. 10 cf. Bergk. hist. lit. gr. 4. 291 et a Marcellino § 52 biogr. ed. Westermann. p. 198 citata frustra in Thucydidis

libris quaerantur. Xenophon quoque hanc notionem usurpat exp. 4. 7. 12 *ἀντεποιοῦντο ἀρετῆς καὶ διηγωνίζοντο πρὸς ἀλλήλους*; ipse autem solus eorum quoscunque legi, non modo virtutis honorem, sed etiam malitiarum vituperationem atque infamiam ad *Ἀρετῆς* officia rettulit ita ut Iustitiam paene liceat pro Virtute substituere; fingit enim de ven. 12. 21 *ὑπὸ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐκ οἰόμενοι ἐπισκοπεῖσθαι πολλὰ κακὰ καὶ αἰσχρὰ ἐναντίον ποιοῦσιν ὅτι αὐτὴν ἐκεῖνοι οὐχ ὁρῶσιν, ἡ δὲ πανταχοῦ πάρεστι διὰ τὸ εἶναι ἀθάνατος,*[1]) *καὶ τιμᾷ τοὺς περὶ αὐτὴν ἀγαθοὺς, τοὺς δὲ κακοὺς ἀτιμάζει* virtutem quasi vivere et inter homines morari.[2])

Lycurgus § 49 cf. Rehdantzium ad locum p. 139, ubi dicit libertatem ac virtutem esse praemia belli, intellegit gloriam virtutis; idem § 71 adhibet vocem *ἀριστεία* ut notet gloriam; nam hac quoque voce viri non nisi praecipua laude digni a ceteris ut optimi distinguuntur. Fortasse autem vox *ἀρετή* gloriae significationem induit eo facilius quod plura loquebantur Graeci de aliorum virtute quod affirmat Zenodot. trag. Nauck. p. 831:

κηρύσσεται γὰρ ἀρετή· κακὸς δ' ἀνὴρ
σιγηλὸν ἔσχε ζῶν τε καὶ θανὼν βίον.

Blaydesius credidit etiam Soph. Phil. 1420 significari voce *ἀρετή* gloriam; rectius olim Musgravius interpretatus erat decus; neque enim licet verba *ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν* neglegere. Idem decus quo circumdati dei mortalium oculis apparent, intellegendum est in inscriptione Meneae quae secundum Dittenbergerum II 784 quarto medio saeculo est vetustior: *Ἀθηνάαι Μένεια ἀνέθηκεν ὄψιν ἰδοῦσα ἀρετὴν τῆς θεοῦ*; item Dittenb. II 806. 9; non igitur assentior Reinachio Bull. de corr. hell. IX 257 cf. Deißmannum Bibelstudien p. 90 s.

---

[1]) item *ἀρετή* vocatur *ἀθάνατος* Soph. Phil. 1420 cf. Blaydes. ad l. et Plat. conv. p. 208 D cf. supra p. 39.

[2]) similiter Bacch. 12. 176 *ἀρετὰ — στρωφᾶται κατὰ γᾶν* [*τε*] *καὶ πολύπλαγκτον θ*[*άλασσαν*] Simonid. fr. 99 *σφ' ἀρετὴ καθύπερθεν κυδαίνουσ' ἀνάγει* Eurip. Heraclid. 626 *ἁ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων* Aristot. hymn. *Ἀρετὰ πολύμοχθε — πάρθενε* Demosth. 18. 127 cf. narratiunculam de Hercule in triviis versato a Prodico compositam. Quin etiam a Sophocle in scenam introductam esse simul cum Venere vel voluptate et Minerva vel sapienta Virtutem *ἐλαίῳ χριομένην καὶ γυμναζομένην* tradit Ath. 15 p. 687 C Soph. fr. 334. Notio vocis *ἀρετή* hac ratione translata magis definite videtur adhiberi; sola enim hominum respicitur virtus.

Vocis *ἀρετή* quoniam naturam ut ita dicam subiectivam vel relativam explicavimus, vim quasi activam nunc tractemus. Omnibus enim locis intellegenda est ea virtus e qua vel oriantur vel ortae sint actiones, numquam voce *ἀρετή* notatur talis virtus quae etsi hominibus inest, tamen quasi latet neque exercetur.

Repetamus exempli causa illud Lycurgeum § 69 *ποῦ γὰρ οὐ περιβόητος ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν ἡ ἀρετή γέγονε*; virtus enim Atheniensium eo apparuit quod ante pugnam Salaminiam libertatis servandae causa totam urbem hostibus reliquerunt; itaque *ἀρετή* referenda est ad certam actionem. Neque aliter Eurip. Hercul. 357:

γενναίων δ' ἀρεταὶ πόνων
τοῖς θανοῦσιν ἄγαλμα

intellegit eas Herculis virtutes quae in duodecim illis laboribus conficiendis qui postea statim narrantur, apparuerunt; aut Thuc. *β* 42. 2 in Periclis oratione funebri *ἃ γὰρ τὴν πόλιν ὕμνησα,* (sc. *ταῦτα*) *αἱ τῶνδε καὶ τῶν τοιῶνδε ἀρεταὶ ἐκόσμησαν* (sc. *αὐτήν*) qui voce *ἀρεταί* significat actiones e virtute ortas; eiusdem afferam *γ* 53. 4 *προκαταγνόντες ἡμῶν τὰς ἀρετὰς ἥσσους εἶναι τῶν ὑμετέρων* *δ* 81. 3 *ἡ τότε Βρασίδου ἀρετὴ καὶ ξύνεσις γ* 58. 1 *ἕνεκα — τῆς ἀρετῆς τῆς πρὸς τοὺς Ἕλληνας*; Eurip. Heraclid. 775 *οὐ γὰρ ἐμᾷ γ' ἀρετᾷ δίκαιός εἰμ' ἐκπεσεῖν μελάθρων*; similiter Xenoph. exped. 1. 4. 8 *τῆς πρόσθεν ἕνεκα περὶ ἐμὲ ἀρετῆς*; Demosth. 18. 297 *ἐρωτᾷς ἀντὶ ποίας ἀρετῆς ἀξιῶ τιμᾶσθαι* et 19. 312 *εἰ μὴ τὰς ἀρετὰς ὑπὲρ αὐτῶν ἐκείνας οἱ Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι παρέσχονθ' ἡμέτεροι πρόγονοι.* Plures autem inveniuntur loci quibus actiones ex animi virtute ortae accuratius non definitae sunt; cf. Gorg. Hel. 1; Lys. 14. 18, 14. 32, 18. 25, 30. 1; Plat. rep. p. 353 B Tim. p. 707. 33.

Hoc ita non mirum est ut necessarie sequatur e notae communis natura; nam honos quoniam ab aliis tribuitur, iis tantummodo deferri potest qui virtutem praestiterunt; contra quod vernacule vocamus „Tugend", i. e. das Taugende, minime ab aliorum iudicio pendet; itaque aliqua proprietas humana etsi non prodita est, potest esse utilis sc. taugend, ergo eine Tugend.

Simili ratione Euripides ceterique utuntur verbo *σοφία* quod explicat Nestleius p. 188 s.: „Der Begriff der Weisheit umfaßt also nicht nur in intellektuellem Sinne die richtige Einsicht, sondern auch in ethischem das richtige sittliche Verhalten"; similiter *ἀμαθία* quoque intellegitur ea e qua actiones fiunt velut Isocr. 17. 47 sub finem cf. Wilamowitzium in Herculis iterum editi vol. II ad v. 347

p. 80 qui interpretatur voces *μανία καὶ ἀμαθία* „eine Geistesverfassung, aus der ein Handeln hervorgeht, in dem" etc.; cf. etiam Nestleium p. 127 et in philol. suppl. 8. 1900 p. 561, Leop. Schmidtium I. 310 de voce *σώφρων*. Contra ex Eurip. fr. 61 *μισῶ σοφὸν ὄντ' ἐν λόγοισιν, ἐς δ' ὄνησιν οὐ σοφόν* si versus a Meinekio recte est restitutus, apparet eius aetate illum quoque potuisse sapientiae laude efferi qui sapientiam praestiterit disputandi arte cum excelleret, non cum vitam viri sapientis degeret; cuius mutationis auctores sophistas deprehendimus.

Quando autem aliquis improba faciebat, saepe ad id refugiebant quod eum credebant nescire quibus rebus honorem adipisceretur; summi igitur Graeci habent scientiam *τοῦ τιμίου*. Ita Homerus cum praecipue laudaturus sit aliquem, ei tribuit hanc scientiam; valde igitur magnam atque eam generaliorem laudem tribuit verbis *αἴσιμα εἰδώς* et similibus;[1]) ita *α* 428 *τ* 346 *β* 231 *O* 207 *ξ* 433; *ἀγαθαὶ φρένες* al. *B* 117 *P* 470 *γ* 266 *η* 111; cf. Nestleium p. 507 not. 8 ad p. 251 qui p. 480 not. 55 ad p. 188 iam monuit in Homeri carminibus usurpari verbum *εἰδέναι* ad scientiam illius quod ad vitam laudabilem degendam pertineat, significandam; quin etiam *πανάριστον* esse censet Hesiodus eum *ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ* neque aliter Euripides fr. 163 voce *ἀμαθία* notat contrarium virtutis; neque mirum doceri posse virtutem contendisse Graecos; cf. etiam Ps. Demosth. 60. 17 *ἔστι γὰρ ἔστιν ἁπάσης ἀρετῆς ἀρχὴ μὲν σύνεσις* et Eurip. fr. 393 *γνώμης γὰρ οὐδὲν ἀρετὴ μονουμένη*; quin etiam fere idem esse sapientiam ac virtutem moralem censuit Socrates quem secutus Plato rep. p. 473 C—D voluit regnare in re publica homines sapientes cf. Hartmannum anal. Xenoph. nov. p. 74; similiter apud Xenophontem cuius legas locum mem. 4. 2. 9. Contra Thucydides cum summam laudem tribuit verbis *ἀρετὴ καὶ ξύνεσις* velut *δ* 81. 2 *ζ* 54. 5, distinguit scientiam a virtute item ac Ps. Xenophon. qui rep. Ath. 1. 7 opponit *ἀρετὴ καὶ σοφία* et *ἀμαθία καὶ πονηρία.*

Addam mentis virtutes omnino non commemorari inter notionum vocis *ἀρετή* numerum; velut prudentia apud Homerum prorsus segregatur a virtute *O* 642:

---

[1]) huiusmodi formulas neglecta solemni consuetudine dicendi imitatum esse censeo illum poetam a quo *ι* 189 Cyclops vocatur *ἀθεμίστια εἰδώς*: neque enim ab ullo alio scriptore quisquam his vel similibus vituperatur verbis.

παντοίας ἀρετὰς ἠμὲν πόδας ἠδὲ μάχεσθαι
καὶ νόον ἐν πρώτοισι Μυκηναίων ἐτέτυκτο

et μ 211:

ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ βουλῇ τε νόῳ τε
ἐκφύγομεν,

similiter Theogn. 1074:

κρείσσων τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς

qui voce *σοφίη* intellegit prudentiam. Contra Theognis v. 699 ut unam vocis *ἀρετή* notionem affert multarum rerum scientiam loco omnium quoscunque legi, maxime miro; duo enim praeterea addit quibus assentientem e classicae quam vocant aetatis scriptoribus neminem audivi: *τὸ ψεύδεα ποιεῖν ἐτύμοισιν ὁμοῖα* v. 713 habet in notionum vocis *ἀρετή* numero, ac solus a ceterorum consueta sententia abhorrens virtutibus praefert divitias; denique tota carminis indoles tam singularem praebet speciem ut de ipso poeta multa, de vocis *ἀρετή* natura nil possimus ex eo colligere.

Virtus cum sit id propter quod magni aestimantur homines, omnibus est expetenda; quod cum nota communi sic arte cohaeret ut omnes notiones vocis *ἀρετή* debeant esse expetendae: quam ob rem Graeci saepissime usurpabant *ἀρετῆς ἐφίεσθαι* vel *ἐπιμελεῖσθαι*, *ἀρετὴν διώκειν* ac similia. Neque vero heroes ab Homero finguntur talia dixisse; immo in Homeri carminibus virtus hominibus tribuitur a deis; ita Υ 242 cf. v. 187, 90/3 fortitudo a Iove et augeri et minui potest.[1]) Ipsa quoque virtus militaris tribuitur a deis, non

[1]) homines quoniam a dis rebus honorificis exornantur, videntur ab iis dem honorari etsi re vera ipso honore afficiuntur a reliquis hominibus; itaque velut *O* 612 *αὐτὸς γὰρ οἱ ἀπ' αἰθέρος ἦεν ἀμύντωρ Ζεὺς ὅς μιν* (sc. Hectorem) *πλεόνεσσι μετ' ἀνδράσι μοῦνον ἐόντα τίμα καὶ κύδαινε* quos versus a Zenodoto omissos obeloque notatos ab Aristarcho a recentioribus quoque viris doctis vel uncinis includi vel eici nil curamus quia de Graecorum, non de Homeri sermone nunc agimus, Jupiter Hectoris virtutem bellicam ita auget vel hostium animos ac corpora corrumpit ut summos ille honores sibi parare possit pugnando quod plane apparet e verbis *ἦεν ἀμύντωρ*. Item *P* 99 *ὁππότ' ἀνὴρ ἐθέλῃ πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι, ὅν κε θεὸς τιμᾷ, τάχα οἱ μέγα πῆμα κυλίσθη* Menelaus credit Hectoris fortitudinem virtutemque bellicam gloriae adipiscendae causa auctam esse ab Apolline quod expresse dicit verbis *πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι* et *ἐπεὶ ἐκ θεόφιν πολεμίζει* (sc. Hector). Neque *Ψ* 787 *εἰδόσιν ὔμμ' ἐρέω πᾶσιν, φίλοι, ὡς ἔτι καὶ νῦν ἀθάνατοι τιμῶσι παλαιατέρους ἀνθρώπους* Ulixem a dis honorari eo quod pedum celeritas ab iis augetur (cf. 771 *τοῦ δ' ἔκλνε Παλλὰς Ἀθήνη, γυῖα δ' ἔθηκεν ἑλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὑπερθεν*), negari potest; simillime *A* 505. Theognidis vero versus 169 sq. obscuriores ac fortasse corruptos rectius omittimus; neque

opera ac consilio et ratione exercendo paratur; neque certamina eam habent auctoritatem quam postea, magis valent ad virtutem praestandam quam ad parandam; ipsa pugna de virtute certant velut ω 515 *ἀρετῆς πέρι δῆριν ἔχουσιν*; tamen varii pugnandi modi iam erant; qui spectantur *X* 268 *παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο* cf. p. 13. Idem posteri quoque[1]) censebant usque ad sophistarum tempora; velut Simonides fr. 61 *οὔτις ἄνευ θεῶν ἀρετὰν λάβεν* aliique multi, vel Pindarus p. 1. 41 *ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς*; cf. o. 9. 28 *ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες ἐγένοντ'*; sed apparet Pindarum credere homines debere consilium capere parandae virtutis; nam superest locus Pindaricus ad cuius similitudinem illum p. 1. 41 interpretari non licet, i. 5. 10:

εἰ γάρ τις ἀνθρώπων δαπάνᾳ τε χαρεὶς καὶ πόνῳ
πράσσει θεοδμάτους ἀρετάς;

versibus a metricorum praeceptis abhorrentibus Eurip. Hercul. 1338 *θεοὶ δ' ὅταν τιμῶσιν οὐδὲν δεῖ φίλων· ἄλις γὰρ ὁ θεὸς ὠφελῶν ὅταν θέλῃ* quia spurios eos esse contendit Nauckius atque Wilamowitzius Eur. Hercul. II ² 271 eorum originem detexisse sibi visus est — credidit enim eos comparandi causa in margine additos esse ab aliquo viro docto qui Orestis v. 667 *ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων*; *ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ θεὸς ὠφελεῖν θέλων* in animo habuisset mendoque memoriae sic corrupisset ut in Herculis fabula nunc extant — niti licet; tamen moneam addito illo *ἄλις γὰρ ὁ θεὸς ὠφελῶν* expresse significari a dis homines adiuvari cum dicuntur ab iis honorari; ab illo vero quem Wilamowitzius fingit versus annotasse, verbum *τιμᾶν* memoriae errore substitutum esse pro verbo *εὖ διδόναι* obiter commemoro. Simile deorum auxilium precatum esse rhapsodam credo qui composuit versus hymn. hom. 25. 6 *χαίρετε τέκνα Διὸς καὶ ἐμὴν τιμήσατ' ἀοιδήν*; ut honorificum in modum carmen epicum possit declamare, musarum advocat subsidium; Pindarus o. 6. 80 *Ἑρμᾶν — ὃς ἀγῶνας ἔχει μοῖράν τ' ἀέθλων Ἀρκαδίαν τ' εὐάνορα τιμᾷ κεῖνος, ὦ παῖ Σωστράτου, σὺν βαρυγδούπῳ πατρὶ κραίνει σέθεν εὐτυχίαν* Mercurium praedicat quod Arcadibus tribuat vires quae certaminum victoribus sunt necessariae; deinde afferam Soph. fr. 226. 1 *σοφὸς γὰρ οὐδεὶς πλὴν ὃν ἂν τιμᾷ θεός* quem versum Nauckius mél. gr.-rom. 3. 44 sic explicavit: niemand ist weise, außer wen ein Gott ehrt, d. h. auszeichnet, begünstigt; sed apparet intellegi dei subsidio vel favore adiutos homines sapientia excellere honoribusque a reliquis efferri, non ab ipso deo affici honoribus. Contra quod Soph. Ant. 1136 ubi Laurentianus recte exhibet *τὰν ἐκ πασᾶν τιμᾶς ὑπερτάταν πόλεων*, a Libero honorari urbem cantant senes Thebani, procul habendum est item atque illi loci quibus dicuntur homines *τίεσθαι* a dis, non *τιμᾶσθαι*, velut *I* 110 *ὃν ἀθάνατοί περ ἔτισαν* ubi Ameis.-Hentz. recte explicant Achilli honores tribuere Iovem eo quod Graecis superiores facit Troes; simillime Ω 533 *φοιτᾷ δ' οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσιν.*

[1]) cf. Naegelsbach. Nachhomer. Theol. p. 76.

dei igitur quasi vias constituerunt certas virtutes; sed quia hae rationes virtutum parandarum sunt plenae *δαπάνης* et *πόνου*, homines debent consilium capere virtutis parandae; sed tribuitur virtus a deis; idem colligendum est ex i. 3. 4 *Ζεῦ μεγάλαι δ' ἀρεταὶ θνατοῖς ἔπονται ἐκ σέθεν*, Juppiter enim virtutem tribuit, sed sequitur virtus hominem: ipse homo si licet ita dicere, debet praeire; faciat igitur aliquid oportet ut virtutem adipiscatur; item Theogn. 150. Similem denique Diagorae sententiam afferamus:

θεὸς θεὸς πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου
νωμᾷ φρέν' ὑπερτάταν ·
αὐτοδαὴς ἀρετὰ βραχὺν οἶμον ἕρπει.

Ne recentiores quidem statim illa *ἀρετὴν διώκειν* ac similia usurpabant; coeperunt Theognis et Phocylides qui adhibebant *ἀρετῆς ἔραμαι* (Theogn. 654) *ἀρετὴν εὔχομαι ἔξοχος εἶναι* (Theogn. 129) *δίζησθαι* vel *δεῖ ζητεῖν ἀρετήν* (Phocyl. 10).[1]) Quae postea quoque in usu erant velut Xenoph. de ven. 12. 18 *ἧς* (sc. *τῆς ἀρετῆς*) *ὅτι μὲν ἐρῶσι πάντες, εὔδηλον*, vel Aristot. hymn. in virtut. v. 12 *σοῖς δὲ πόθοις Ἀχιλεὺς Αἴας τ' Ἀίδαο δόμον ἦλθον* quem poetae philosophi versum afferre licet si fidem habemus Wilamowitzio qui de Aristot. et Ath. II 403 ss. praecip. 412 demonstravit hoc carmen ab Aristotelica doctrina paululum amotum esse atque accommodatum veteribus hymnis.

Talia quibus homines sua sibi opera parare virtutem finguntur, Thucydidis demum aetate primum inveniuntur. — At bis occurrit *σπεύδειν* (*εἰς*) *ἀρετήν*, Theogn. 402 Pind. i. 4. 13 (3. 31 Schroed.); sed et Theognis qui monet *μηδὲν ἄγαν σπεύδειν* et Pindarus qui praescribit *καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν* intellegunt nimium rerum honorificarum studium quod superbiae aliquid habet multumque distat a recentiorum virtutis studio. — Exempli causa afferam Thuc. *η* 86 *διὰ τὴν πᾶσαν ἐς ἀρετὴν νενομισμένην ἐπιτήδευσιν* quo loco virtutis studium laudatur eorum qui toto animo virtutem sequuntur, qui semper student ut iusta cognoscant atque agendo demonstrent se non nescire quid rectum sit; Xenophontis autem aetate eorum qui vitam non leviter degunt; ita ab ipso Xenophonte conviv. 8. 26 opponuntur *ἐπιμελεῖσθαι ἀρετῆς* et *ῥᾳδιουργεῖν*.

Apud Theognidem autem et Phocylidem student adipisci id quo honoris participes fiant; neque recentiores hoc fefellit; quin

[1]) item Phocyl. 8 *ἡσυχίη δ' ἀγετὴν διζημένῳ ἐσθλή*.

etiam Carcinus fr. 4 p. 799 Nauck. qui exclamat se precari a dis *μακάριός θ' ἅμα — κἀγαθός* ut appelletur, ea de causa studet fieri bonus fortunatusque ut adipiscatur illos honores[1]) qui hominibus et divitibus et virtute praeditis tribui solent; cf. Isocr. 1. 38; 5. 134 Thuc. *ζ* 11. 6 *καὶ περὶ πλείστου καὶ διὰ πλείστου δόξαν ἀρετῆς* (sc. virtutis militaris gloriam) *μελετῶσιν* Ps. Demosth. 60. 2 *τῆς δ' ἀρετῆς καὶ τῶν ἐπαίνων πᾶσαν ἐπιθυμίαν οὖσαν* Lyc. § 46 Xenoph. mem. 3. 3. 13 *φιλοτιμίᾳ ἥπερ μάλιστα παροξύνει πρὸς τὰ καλὰ καὶ ἔντιμα*. Apud Thucydidem curant probitatem; sophistarum vero discipuli discunt quid virtutis sit et in vita degenda hanc philosophiae moralis notitiam adhibent ac demonstrant; qui a Xenophonte velut mem. 4. 8. 11 vocantur *ἀρετῆς ἐφιέμενοι*.

Sed apparet cur voces *ἀρετῆς ἐφίεσθαι* ac similes quibus homines finguntur suis viribus virtutem sibi parare, ante sophistarum tempora usurpare non potuerint; etsi enim omnes debebant scire ea quibus honores sibi parare possent, tamen ea quippe quae ipsorum mentibus quasi sponte nota fierent, ita facile ac certe cognoscebant ut hoc vocare non possent virtutis studium. Velut neque scientiam eius quo in bello honos paratur, neque ea facta quae ex hac peritia oriuntur, poterant ad virtutis militaris studium referre.

Hesiodus credit virtutem laboribus parari; velut op. 289:

τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν

quos versus exornavit Simonid. fr. 58:

ἔστι τις λόγος τὰν Ἀρετὰν ναίειν
δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις κτλ.;

respici virtutem moralem demonstravimus p. 17 ss.; neque aliter Theogn. 336 *ἀρετὴν ἥν τε λαβεῖν χαλεπόν*; Pindarus quoque o. 8. 6 vocat virtutis laudem *τῶν μόχθων — ἀμπνοάν*; idem censuit Aeschylus fr. 340 *ἐκ τῶν πόνων τίκτεσθαι ἀρετὰς βροτοῖς* quo loco vox *πόνοι* et ad labores et ad res adversas pertinere videtur; item Simonid fr. 61:

οὔτις ἄνευ θεῶν
ἀρετὰν λάβεν, οὐ πόλις οὐ βροτός ·
θεὸς ὁ πάμμητις · ἀπήμαντον δὲ
οὐδέν ἐστιν ἐν αὐτοῖς

qui illud *ἀπήμαντον* refert etiam ad virtutem parandam. Sed in-

[1]) quanti Graeci honores laudesque aestimaverint, apparet e Xenoph. Hier. 7. 3 Ages. 10. 4 inst. Cyr. 1. 5. 12 cf. Naegelsbach. Nachhomer. Theol. p 308.

tellegit exerceri quoque virtutem cum laboribus; item Bacchyl. 1. 181 *ἀρετὰ δ' ἐπίμοχθος*; saepe Euripides hanc sententiam significat velut fr. 236 *σὺν μυρίοισι τὰ καλὰ γίγνεται πόνοις* cf. Nestleium p. 482 not. 69 et p. 193; vel Heraclid. 625 *ἃ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων*; item Aristoteles in hymno *Ἀρετὰ πολύμοχθε* et v. quinto *καὶ πόνους τλῆναι μαλεροὺς ἀκάμαντας*. Ambas sententias in unam confudit Xenophon de ven. 12. 18 *ἐξ ὧν* (sc. *ἐκ τοῦ πολλὰ καὶ καλὰ μαθεῖν ἀρξαμένους ἀπὸ τῶν κυνηγεσίων*) *ἐγενετο αὐτοῖς μεγάλη ἀρετή δι' ἣν· καὶ νῦν θαυμάζονται· ἧς ὅτι μὲν ἐρῶσι πάντες, εὔδηλον· ὅτι δὲ διὰ πόνων ἐστὶ τυχεῖν αὐτῆς, οἱ πολλοὶ ἀφίστανται· τὸ μὲν γὰρ κατεργάσασθαι αὐτήν ἄδηλον, οἱ δὲ πόνοι ἐν αὐτῇ ἐνόντες φανεροί.*

Postremum ad id pervenerunt ut crederent virtutem prorsus seiunctam esse a voluptatibus; quod in fragmento tragico incertae aetatis monetur ap. Nauck. adespot. 346 p. 904.

Ut laboribus virtutem parari, ita studio atque opera eam conservandam esse censebant; quod Hesiodus op. 197 iam videtur significare verbis *κακοῦ δ' οὐκ ἔσσεται ἀλκή*; Sappho quoque hoc monet fr. 80 Bergk. p. 116 quem versum in scholiis Pindaricis ad o. 2. 96 sic invenimus: *πλοῦτος ἄνευ ἀρετῆς οὐκ ἀσινὴς πάροικος*, i. e opes nocent nisi eam habes virtutem qua ea quibus effeminaris, possis defendere. Vel magis Simonides hoc affirmavit si quidem Platonem[1]) Protag. 339 B illius carmen recte interpretatum esse credimus: bonum esse vel manere neminem posse, bonum fieri non nisi summa cum opera. Simili ratione usus Ps. Lys. epitaph. 33 voce *ἀρετή* notat laudem virtutis servatae; opponit *ὄνειδος*.

[1]) Hartmanno qui anal. Xenoph. nov. p. 89 e Xenoph. inst. Cyr. 7. 5. 75 colligit Socratem ipsum hoc carmen sic interpretatum esse, fidem non habemus.

Index locorum.

Loci huius modi uncis ( ) inclusi tractati sunt notionis ad quam annotantur, accuratius cernendae causa quamquam ipsa notio iis non intellegitur. Loci sic uncinati [ ] notionem ad quam adduntur etsi exhibent, in dissertatione non allati sunt.

Homer.[1]) *corporis* (*Λ* 90 *N* 257 *N* 275 p. 13, *O* 642 p. 10), *Ψ* 374 p. 12, (*ϑ* 167 p. 11, *μ* 211 p. 10); *pedum O* 642 p. 10, *Y* 411 p. 10 p. 12; *milit. Θ* 535 *Λ* 90 bis (*Ψ* 571 *ω* 509) *ω* 515 p. 12, *X* 268 p. 12 p. 13 p. 45, (*ξ* 212 p. 13); *fortitud. N* 237 *Y* 242 p. 12, *N* 275 p. 6 p. 12 p. 13, *N* 277 p. 12 p. 13, *X* 242 p. 13; *bonus et hominum et rerum status ν* 45 *σ* 133 p. 16; *cuius status honos Ψ* 578 p. 17; *ἀρετᾶν = ἀρετὴν ἔχειν ϑ* 329 *τ* 114 p. 17; *mor. ξ* 402 *ϱ* 322 p. 20; *fides erga maritos ω* 192 p. 25; *pulchr. fem. σ* 251 p. 12 p. 24, *τ* 114 p. 24; *equorum Ψ* 276 p. 12 p. 27, [*Ψ* 374]; *gener.* (*N* 275 *Y* 242 p. 12), *ξ* 212 p. 13, *I* 498 *O* 642 bis *Ξ* 118 *X* 268 *Ψ* 578 *Ψ* 581 *β* 206 *δ* 629 bis *δ* 725 bis *δ* 815 bis *μ* 211 *ξ* 212 *σ* 205 bis *φ* 187 bis p. 33, (*ϑ* 133/250 p. 34); *laus vel gloria famaque alicuius virtutis Ψ* 578 p. 17, *ξ* 402 p. 20, *Ψ* 571 *ξ* 402 p. 39, [*I* 498 *Λ* 763]; *αἴσιμα εἰδώς sim. O* 207 *P* 470 *α* 428 *β* 117 *β* 231 *γ* 266 *η* 111 (*ι* 189) *ξ* 433 *τ* 346 p. 43, [*ω* 192]; *prudentia* (*O* 642 p. 43, *μ* 211 p. 44); *ipsa pugna de virtute certant ω* 515 p. 45; *homines finguntur a dis honorari Λ* 505 *O* 612 *P* 99 *Ψ* 787 p. 44, (*I* 110 *Ω* 533 p. 45); *a dis tribuitur Y* 242 p. 44, [*ν* 45 *σ* 133]. hymn. homer.[2]) *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* (10), 15. 9, 19. 8, (24, 25, 31) p. 18; *homines finguntur a dis honorari* 25. 6 p. 45. Hesiod.[3]) *mor.* op. 289 p. 21 *σωφρ.* (op. 694 p. 27 p. 28); *opum honores* op. 313 p. 17 p. 39; *laboribus paratur* op. 289 p. 47; *opera conservanda est* (op. 197 p. 48). Tyrt.[4]) *corp.* 11. 14 p. 13 p. 17); *pedum* [12. 2]; *fortitud.* [12. 44]); *facundia* 128 p. 32; *gener.* (12 p. 34). Sapph.[5]) *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* 80 p. 19; *opera conservanda est* 80 p. 48. Ps. Anacr. *equorum μνᾶμα ποδῶν ἀρετῆς* 102 p. 27. Xenophan.

Editiones.

[4])—[5]) lyr. ed Bergk.[4]

Indices.

[1]) Gehring 1891.

[2]) Gehring 1895.

[3]) Paulson 1890.

[4]) indicem quem in suum usum confecerat, W. Schroeterus benigne mecum communicavit.

[5]) Gerstenhauer diss. Hal. XII, 231.

corp. optimatium 2 p. 10 p. 11; *gener.* 2 p. 34; *potandi* [1. 20]. Simon[1]) *pulchr.* (p. 54 Schneidew. p. 11); *mor.* 58 p. 21; *equorum* 130 p. 27 p. 36; *honorif. aliquid* 100 p. 38; *quasi viva* 93 p. 41[2]; *a dis tribuitur* 61 p. 45 p. 47; *laboribus paratur* (58) 61 p. 47. Solon.[2]) *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* 13. 3 p. 19, 15 p. 20; *μεγάλη ἀρετή* [27]. Theogn.[3]) *corp.* (699 p. 34); *opes* (699 p. 17 p. 34 p. 44); *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* 129 (145, 150, 699) p. 20 p. 44, [1062]; *mor.* 147 p. 22, [1178]; *σωφροσ.* 330 p. 28, (401 p. 23, 699 p. 30); *facundia* (699 p. 32); *gener.* (699 p. 34); *honorif. aliquid* 30, 129, 402, 624, 654, 699, (933), 971 p. 38; *honos* 30 p. 39; *sapientia* (1074 p. 44); *prudentia* 699 p. 44; *ψεύδεα ποιεῖν* 713 p. 44; *ἀρετῆς ἔραμαι sim.* 129, 654 p. 46; *σπεύδειν εἰς ἀρετήν* 402 p. 46; *a dis tribuitur* 150 p. 46; *laboribus paratur* 336 p. 47; *παντοῖαι δἀρεταὶ καὶ βιότου παλάμαι* [624]; *μεγάλη ἀρετή* [1074]; *ἀρετὴ καὶ κάλλος* [933]. Phocyl.[4]) *σωφροσ.* (14, 69, 98 p. 27) *δικαιοσ.* [17]; *ἀρετῆς ἔραμαι sim.* 8, 10 p. 46; *ἀρετὴ — βιοτή* [10]. Pythag. dict. aur. *σωφροσ.* (38 p. 27). Pind.[5]) *pedum* pyth. 10 p. 10 p. 27; *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* pyth. 1. 19 p. 19, pyth. 5. 2, (pyth. 5. 98) p. 19; *mor.* pyth. 1. 94 p. 20; *gloria* o. 8. 6 pyth. 5. 98 n. 10. 2 i. 5. 17 p. 36; *homines finguntur a dis honorari* o. 6. 80 p. 45; *a dis tribuitur* o. 9. 28 pyth. 1. 41 i. 5. 10 p. 45, i. 3. 4 p. 46; *laboribus paratur* o. 8. 6 p. 47; *σπεύδειν εἰς ἀρετήν* i. 4. 13 p. 46. Bacchyl.[6]) *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* 1. 159 p. 20; *gloria* (1. 181, 3. 90) 12. 175 p. 39; *quasi viva* 12. 167 p. 41[2]; *exercetur cum laboribus* 1. 181 p. 47. Aeschyl.[7]) *laboribus paratur* fr. 340 p. 47. Soph.[8]) *gloria famaque virtutis* (El. 627, 1081 p. 39); *decus deorum* Phil. 1420 p. 41; *ἀθάνατος* Phil. 1420 p. 41[1]; *Ἀρετή* fr. 374 p. 41[2]; *homines finguntur a dis honorari* Ant. 1136 fr. 226. 1 p. 45. Eurip.[9]) *corp.* (fr. 282 p. 11); *pulchr.* [fr. 15]; *mil.* [suppl. 596]; *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* Troad. 1009 Or. 807 fr. 163 p. 19; *mor.* [Heraclid. 775]; *probitas* Hercul. 342 p. 22; *magn. an. fem.* Iph. Aul. 1562 suppl. 1063 p. 26; *erga maritos* Ion. 863 Androm. 207 Iph. Aul. 568 fr. 909 p. 25, suppl. 1063 p. 26, [fr. 497]; *urbis* [Troad. 223]; *σωφροσ.* (Iph. Aul. 1089) fr. 446 p. 29; *gloria virtutis* suppl. 177 fr. 542 fr. 734 (fr. 1029) p. 40, [Androm. 777]; *quasi viva* Heraclid. 626 p. 41[2]; *vis activa* Hercul. (347) 357 Heraclid. 775 (fr. 61) p. 42; *scientia rerum honorificarum* fr. 163 fr. 393) p. 43; *θηρεύειν ἀρετήν* al. [Iph. Aul. 562 Ion. 440]; *τροφαὶ θαί*

Editiones.

[1])—[4]) lyr. ed. Bergk.[4]

[5]) Christ 1886.

[6]) Blass[2] 1904.

Indices.

[1]) Schroeter de Simonidis sermone 1906.

[2]) Riedy Solonis elocutio quatenus pendeat ab exemplo Homeri 1904.

[3]) ed. Sitzler 1880; Gaisford 1823.

[4]) Gaisford 1823.

[5]) Rumpel 1883.

[6]) ed. Blass.[2] 1904.

[7]) Wellauer 1830; Dindorf 1873/6; fragm. Nauck.

[8]) Ellendt[2]-Genthe 1872; fragm. Nauck.

[9]) Matthiae 1841; fragm. Nauck.

παιδευόμεναι μέγα φέρουσ' ἐς τὰν ἀρετάν [Iph. Aul. 1562]; *deorum subsidium necesse* [suppl. 596]; *exercetur cum laboribus* Heraclid. 625 fr. 236 p. 48. Herod.[1]) *fortit.* 1. 176, 7. 181, 8. 92 p. 14; *mor.* (7. 102) p. 23; *terrae* 4. 198, 7. 5, 8. 144 p. 27; *lanae* 3. 106 p. 27. Aristoph.[2]) *vasorum* fr. 14 p. 27. Andoc.[3]) *mil.* [1. 107]; *mor.* [1. 56, 1. 119 al.]; *civ.* [1. 109]; *maiorum* [1. 107, 109, 142, 143]; *εὐδοξία* Suid. sub *ἀρετή* p. 40. Antisthen. *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* p. 20. Antiphan.[4]) *magn. an.* 210 p. 23. Gorg. *pulchr.* (Hel. 1 p. 11); *vis activa* Hel. 1 p. 42. Lys.[5]) *mil.* [14. 32, epit. 20, 23 etc.]; *copiarum ducendarum* 18. 3 p. 16; *mor.* [12. 5 fr. 1. 2 epit. 71]; *magn. an.* epit. 10, 41, 71 p. 23; *civ.* [18. 9, 25]; *maiorum* epit. p. 35, [14. 18, 30. 1, 33. 7]; *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ . . .* (10. 28), 18. 3 p. 36; *honorif. aliquid* [18. 11]; *glor. virtutis* [epit. 33]; *vis activa* 14. 18, 32, 18. 25, 30. 1 p. 42, [12. 36, 86]; *laus virtutis servatae* epit. 33 p. 48. Thucyd.[6]) *mil.* (*δ* 126 p. 16), [*β* 43. 1 *β* 45, *δ* 92. 7 *ζ* 11. 6]; *fortit.* *β* 34. 5 *β* 36. 1 *β* 42. 2 *β* 46. 1 *β* 87. 9 p. 14; *magn. an.* *β* 51. 5 *δ* 19. 2 *δ* 19. 3 *δ* 86. 5 p. 23; *probitas* *α* 37. 5 *β* 71. 3 *η* 86. 5 p. 22 [*α* 33. 2 *γ* 10. 1 *γ* 10. 4]; *fem.* *β* 45. 2 p. 26; *terrae* *α* 24 p. 27; *civ.* *β* 37. 1 p. 30, [(*δ* 126)]; *gener.* [*α* 37. 2 *β* 37. 1 *γ* 57. 2 *γ* 58. 1 *δ* 63. 2 *δ* 81. 3 *ε* 105]; *maiorum* epit. p. 35, [*δ* 92. 7]; *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ . . . β* 71. 3 p. 36; *gloria famaque virtutis* *α* 33. 2 *α* 69. 1 *β* 45. 2 (*γ* 58. 1) p. 40, *δ* 92. 7 p. 39; *honorum causa virtuti student* (*ζ* 11. 6 p. 47); *vis activa* *β* 42. 2 *γ* 53. 4 *γ* 58. 1 *δ* 81. 3 p. 42; *ἀρετὴ καὶ ξύνεσις δ* 81. 2 *ζ* 54. 5 p. 43; *ἀρετῆς ἐφίεσθαι sim.* *η* 86. 5 p. 46, [*ζ* 11. 6 *ζ* 54. 5]. Xenoph.[7]) *pulchr.* (conv. 4. 15 p. 11); *mil.* [inst. Cyr. 2. 3. 5, 7. 5. 71, 7. 5. 84, 8. 1. 29]; *fortit.* inst. Cyr. 2. 3. 4, 4. 1. 5, 7. 1. 18, rep. Lac. 9. 2 p. 14; *oboed. milit.* inst. Cyr. 2. 3. 8 p. 16, (inst. Cyr. 2. 2. 30, 4. 1. 3, 7. 2. 5) p. 32; *mil. labor.* hist. gr. 6. 1. 6 (inst. Cyr. 2. 3. 4) p. 15; *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* (mem. 4. 2. 9) p. 20; *mor.* mem. 2. 1. 20 p. 21, [exp. 7. 7. 41 Ages. 3. 1 apol. 34 conv. 8. 26, 27 etc. etc.]; *magn. an.* exp. 1. 4. 9 p. 23, [exp. 6. 4. 8]; *liberalitas* exp. 6. 4. 8 p. 24; *Iustitia* de ven. 12. 21 p. 41; *pulchr. fem.* oec. 10. 1 inst. Cyr. 5. 1. 5 p. 24; *dom. fem.* oec. 7. 43 p. 26; *equorum* Hier. 2. 2, 6. 15, 11. 5 p. 27; *σωφροσ.* (mem. 3. 9. 4, 4. 5. 7 inst. Cyr. 1. 5. 9 p. 29, inst. Cyr. 3. 1. 16 p. 34; *civ.* mem. 4. 2. 11 p. 30 [rep. Lac. 4. 7]; *maiorum* [mem. 3. 5. 3 inst. Cyr. 3. 5. 14]; *optimatium* [rep. Ath. 1. 7, 2. 19]; *βασιλικὴ* mem. 4. 2. 11 p. 30 [mem. 3. 2. 4]; *gener.* inst. Cyr. 3. 1. 16 p. 34; *gloria famaque virtutis* exp. 4. 7. 12 p. 41; *honorum causa virtuti student* mem. 3. 3. 13 p. 47, (Hier. 7. 3 Ages. 10. 4 inst. Cyr. 1. 5. 12) p. 47[1], [mem. 2. 6. 12]; *vis activa* exp. 1. 4. 8 p. 42; *ἀσκεῖν ἀρετήν* [inst. Cyr. 7. 2. 24, 7. 5. 71, 77, 8. 1. 12, 8. 2. 26 mem 1. 2. 20, 2. 6. 20 rep. Lac. 4. 7, 10. 1 Ages. 10. 2]; *ἀρετῆς ἔραμαι sim.* de ven. 12. 18 p. 46; *ἀρετῆς ἐφίεσθαι* conv. 8. 26 p. 46, mem. 4. 8. 11 p. 47, [inst. Cyr. 3. 5. 14, 7. 5. 77, 8. 1. 12

Editiones.

Indices.

[1]) Schweighaeuser 1816; Lipsius-Jacobitz 1870.

[2]) Bachmann 1884.

[3]) Forman 1897.

[4]) Meineke 1857.

[5]) Holmes 1895.

[6]) Essen 1887.

[7]) Sauppe 1869.

mem. 1. 28, 2. 1. 20, 2. 6. 39 3. 5. 3 conv. 8. 43 apol. 34]; *paratur et exercetur cum laboribus* de ven. 12. 10 p. 48, [inst. Cyr. 2. 2, 24 mem. 2. 1. 20]. Plat.[1]) *aur. et ocul.* rep. 1. 353 *B* p. 10; *corp.* leg. 8. 832 *E* Gorg. p. 517 *E* p. 10; *mor.* Protag. 340 *D* p. 21; *equorum* rep. 1. 335 *B* p. 27; *terrae* leg. 5. 745 Crit. 110 *E* 117 *B* p. 27; *maiorum* Menex. epit. p. 35; *virtutis gloria* conv. 288 *D* p. 39 p. 40; *sapientia* (rep. 473 *C* p. 43); *vis activa* rep. 353 *B* Tim. 707. 33 p. 39. Isocr.[2]) *corp.* 4. 1 p. 11; *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* (1. 38 p. 20); *terrae* 4. 108 p. 27; *honorum causa virtuti student* 1. 38, 5. 134 p. 47; *vis activa* [17. 47]. Demosth.[3]) *corp.* [61. 25]; *pulchr.* 61 p. 12; *mil.* [13. 26, 15. 35, 19. 274, 20. 141, 60. 20, 21, 23, 36]; *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* (22. 75 p. 20) ([24. 183, 61. 3]); *probitas* 19. 75, 142 p. 23; *civ.* 18. 297 p. 32 [18. 204, 20. 107, 60, 1]; *maiorum* 13. 26, 15. 35 p. 35 [3. 36, 14. 1, 18. 68, 19. 274, 312, 23. 211, 25. 97, 60, 1]; *ab ἀρέσκειν non derivata* 61. 20 p. 37; *gloria* 60. 1 p. 40; *scientia rerum honorificarum* (60. 17 p. 43); *honorum causa virtuti student* 60. 2 p. 47; *ἀρετῆς ἐφίεσθαι* [61. 25]; *quasi viva* 18. 127 p. 41[2]; *vis activa* 18. 297, 19. 312 p. 42; *nautarum* [32. 8]. Hyper.[4]) *mil. labor.* epit. 15, 23, 26, 29 p. 15; *maiorum* epit. p. 35; *laus vel gloria* epit. 3 p. 39, 32, 41 p. 40. Lycurg.[5]) *mil.* [48, 50, 80, 83, 105, 108]; *mor.* [10]; *civ.* (104 p. 30); *maiorum* [69, 71, 80, 104. 105, 108]; *ἐπιτύμβια τῆς ἀρετῆς* [108]; *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ . . .* (108 p. 36); *gloria virtutis* 49 (71) p. 41; *honorum causa virtuti student* 46 p. 47; *vis activa* 69 p. 42 [10, 104, 140]; *ἐπιτηδεύειν* [104]. Aeschin.[6]) *corp.* (3. 179 p. 10); *fortit.* [3. 152, 154, 160, 255]; *mor.* 1. 191 p. 28; *civ.* 3. 232, 246 p. 31, 3. 226, (236) p. 32 [3. 180, 189, 211]; *maiorum* [3. 152]; *gener.* 3. 260 p. 34; *καταπέπλυται* [3. 178]; *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ . . .* 3. 10, 42, 49, 155, 246 p. 36; *ζηλοῦν ἀρετήν al.* [1. 146, 180, 191]. Aristot.[7]) *quasi viva* hymn. p. 41[2]; *ἀρετῆς ἔραμαι sim.* hymn. 12 p. 46; *exercetur cum laboribus* hymn. 5 p. 48. Ephor.[8]) *mil. labor.* 64 p. 15; *terrae* 52 (60) p. 27; *civ.* 64 p. 32. Theopomp.[8]) *civ.* 28 p. 32. Carcin.[9]) *ἀρετὴ καὶ ὄλβος* 4 p. 19; *honorum causa virtuti student* 4 p. 46. Apollonid.[10]) *fem.* 2 p. 26. Parrhas. p. 36. Zenod. trag. *gloria* p. 831 Nauck. p. 41. Cratet. cyn.[11]) *τὴν δ' ἀρετὴν παρὰ γράμμα διώκοντες κατέτριβον* [1]. Philisc. *ἀρετῆς κήρυκα.* Diagor. *tribuitur a dis* p. 46. Antiphont. trag. *mil.*[10]) [p. 792 Nauchr.]. trag. adespot.[10]) *seiuncta a voluptatibus* 346 p. 904 p. 48; *ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σύ δ' ἀρ' ἐδουλεύες τύχῃ* [374 p. 910]; *ἀρετῇ σταθμώμενος τὰ πάντα* [327 p. 901] [cf. 116 p. 863]. C. I. A. *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ . . .* IV 2. 109 b 32, 128 b 57, 574 c 14, 169 b 20 a, 173 b 10, 574 d 9 p. 36. Dittenberg. *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ . . .* (I 7. 8 p. 36); *decus deorum* II 784 II 806. 9 p. 41.

Editiones.

[8]) Mueller.

[9]) Nauck. p. 799.

[10]) Nauck.

[11]) sillogr. ed. Wachsmuth. p. 192 cuius cf. commentarium.

Indices.

[1]) Ast 1835. [2]) Preuß 1904. [3]) Preuß 1892.

[4]) Reinhold in editione Blassii 1894.

[5]) Forman 1897.

[6]) Preuß in editione Blassii 1896.

[7]) Bonitz 1870.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Ioannes Ludwig anni MDCCCLXXXIV idibus Martiis in oppido Wurzen patre Emilio matre Elisa e gente Gernhard. Fidem profiteor evangelicam. Patre carissimo qui inter praeceptores gymnasii regii Wurcensis docebat, praematura morte erepto eandem scholam frequentavi. Ubi magistros egregios nactus sum viros quorum praecipue Roscherum et Steudingium optime de me meritos esse numquam obliviscar. Vere anni huius saeculi alterius maturitatis testimonium adeptus Lipsiam profectus sum ubi ad philologiae studium me contuli. Interfui proseminario regio Immischio moderante per ter senos menses, seminario auspiciis Lipsii Wachsmuthii Marxii per idem spatium, Lipsii societati graecae unum per semestre, proseminario historico Koetzschkio, seminario Seeligero moderantibus bina per semestria. Praeterea me admiserunt ad exercitationes archaeologicas Studniczka, ad francogallicas Blondeaux, ad metricas Marx, ad paedagogicas Iungmann. Docuerunt me viri illustrissimi Blondeaux Brandenburg Brugmann Heinze Hofmann Immisch Kaerst Lamprecht Lipsius Marx Seeliger Sievers Studniczka Volkelt Wachsmuth Wundt. Quibus viris doctis gratias habeo maximas. Quantum vero debeam Lipsio qui inde a vere anni MCMIV famuli simul et instituti philologi bibliothecarii munus mihi mandavit semperque studiis meis summa cum benevolentia favit, numquam desinam reminisci.